



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

Liber CLXXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)



HENRICUS IV. Franciæ Rex,
a Sicario necatus.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CLXXXVII.



PAULUS V. SUMM. PONTIFEX.

RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Ex Conjuratis quidam extremo sup-
plicio in Anglia affecti.*

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Maluisset equidem Jacobus I. Angliæ
Rex populi sui obsequium potius
mansuetudine ac indulgentia e-
mere, quam Regiæ Majestatis severi-
tate, & subditorum sanguine extor-
quere, *Hist. Eccles. Tom. LIV.*

*Merc. Gallo
Belg. tom. 5.
Thuan. hist.
l. 135.
Rapin. hist.
d' Angl.
Juven. hist.
Societ.*

Sæc. XVII. A. C. 1606. quere, nihilominus ne serperet in vulgus
 incorrecta Procerum pravitas simulque
 factiosis terror incuteretur, morigeris
 vero publica redderetur tranquillitas,
 Rex suum folium firmare ratus, nupere
 ræ conspirationis reos in comitiis die
 vigesima prima Januarii celebratis plecti
 iussit, nominatis hanc in rem quibus-
 dam, qui iudicii acta in eos instruerent:
 Igitur præ ceteris coram tribunali si-
 stuntur Digbius, Graundius, Rucwo-
 dus, Batesius, Robertus & Thomas
 Wintheri fratres, Cajus & Fauxius. Ex
 his octo Digbius crimen suum ultro fas-
 sus, se ad id desperatione adactum fuisse
 ajebat, unice petens, ut ense, nec la-
 queo puniretur: Thomas quoque Win-
 therus, Rucwodus, Robertus & Fau-
 xius se cuniculo manus admovisse fate-
 bantur: ceteri vero criminis, quod ne-
 gare haud poterant, foeditatem diserta
 saltem oratione, honestoque obtentu
 imminuere nitebantur: Accepta igitur
 mortis sententia unaomnes die trigesi-
 ma Januarii ad supplicii locum produ-
 cuntur, ad quorum conspectum om-
 nium animi intimo miserationis sensu
 afficiebantur: funestum enim erat spe-
 ctaculum, cernere tam egregia ac li-
 berali oris venustate, corporis habitu-
 dine plane regia juvenes tam splendide
 vestitos ad infame mortis supplicium a-

Licto-

Liſtoribus raptari. Ipsi tamen Heroi-
 bus dignam vultu, moribusque con-
 ſtantiam præſeferebant, atque inter eos Sæc. XVII.
 primus ſcalam aſcendens hæc dunta- A. C. 1606.
 xat pronuntiabat verba: *criminis quidem,*
ſi forum ſpectatur, reus ſuum, ſi conſcien-
tia, innocens: quibus dictis carnificis
 manu in furcam actus eſt, quo pariter
 ſupplicio Robertus, Graundius & Ba-
 teſius necati ſunt. Altera die Thomas
 Wintherus, Cajus, Rucwodus & Fau-
 xius hoc ſupplicii genere vitam finire:
 Præprimis laqueo ſuſpenſi, dum adhuc
 animam agerent, ſcammis imponeban-
 tur, ubi carnifex primum pudenda ab-
 ſciſſa in ignem coniecit, poſtea, aperto
 ventre cor extraxit, illoque os obver-
 beravit, demum inteſtinis igne crema-
 tis, capite revulſo truncum in quatuor
 partes diſſecuit, quæ variis in locis ſu-
 ſpenſæ, capita vero in Temeſis ponte
 palam affixa fuere: Cateſbii vero &
 Percei, quos carnificis manibus deſpe-
 rata temeritas jam antea ultronea morte
 ſubtraxerat, corpora eandem ſupplicii
 ignominiam ſubierunt, ceterique, in
 quos levior criminis ſuſpicio cadebat,
 exilio plectebantur. Peracto hoc ſup-
 plicio varii in urbe ſpangebantur rumo-
 res: non deerant, qui Epistolam ad
 Montaquilium ſcriptam nil niſi Cæcilii
 Sarisberienſis Comitum Catholicis in-
 fenſis-

Sæc. XVII. fenissimi commentum fuisse asserent,
 A. C. 1606. addebant etiam primam de hac conjuratione notitiam ad Jacobum pervenisse per Henricum IV. Franciæ Regem, qui eam a Jesuitis eo fine didicisset, ut Angliæ excidium in rem suam verteret.

§. II.

Pater Garnetus Jesuita captus.

Juven. hist. Soc. l. 13. p. 5. n. 49. Thuan. lib. 135. Rapin. l. 18. Tandem Pater Garnetus Jesuita, qui aliquamdiu hæreticorum insequentium fedulitatem eluserat, in laqueos incidit, nefaria proditione cujusdam Catholici nomine Hunfredi Littletoni, qui, ut supra meminimus, conjuratos urbe egressos in ædes suas receperat. Hic veniæ ac recuperandæ libertatis spe deceptus, hunc Patrem unacum Oldcorno, quem *Hallum* vulgo nominabant, in Albingtoniensi castello delitescere denunciabat, quo comperto mox Henricus Bromleyus secta Puritanus cum ducentis satellitibus advolat, ambosque Jesuitas unacum Garneti famulo Londinum ad carceres deducit, in quo præfatus famulus obtuso cultro seipsum trucidabat: Primis diebus Pater Garnetus perbenigne habebatur, postea a Judicibus interrogatus, cum omnia pernegasset, ad custodiam reducitur, cujus intermedia pars carcerem, in quo
 P. Ol-

P. Oldcornus detinebatur, dividebat. Sæc. XVII.
 Eodem in pariete foramen erat, per A. C. 1606.
 quod vox ab uno ergastulo ad aliud sibi
 adjunctum commeare poterat: igitur
 Pater Garnetus de focii sui præsentia
 admonituseundem, quonam loco ipsius
 caussa esset, sciscitatur, cui Oldcornus
 hæc respondit: *nihil adhuc inventum scio, In Processu*
quo me conjurationis consciium probare Lond. Gar-
possent, nec porro quicquam invenire po- net. p. 13. &
terunt; unicus enim, a quo facinus prope seqq.
perfectum cognovi, in terris adhuc exstat,
qui tamen jam ex Anglia excessit, ac proin
nullum criminis indicium facere potest. Ab-
 scondebantur studiose ipsis insciis duo
 probatæ fidei testes, qui ab iis excepta
 mox ad Judices deferebant. Insuper
 subornatus erat quidam homo, qui se
 Catholicum simulans, de oppressa Re-
 ligione querebatur, hacque ratione in
 intimam Garneti familiaritatem sese in-
 sinuabat: Huic ergo Garnetus doli igna-
 rus, ad quamdam Nobilem foeminam,
 quæ ob Religionem pariter carcere man-
 cipata hæserat, literas dabat, in qui-
 bus ipsam incautius edocebat, quæ ipse
 jam confessus, & de quibus nondum
 interrogatus esset, & qua demum ra-
 tione ipsa quoque jam confessa excu-
 sare, & nondum cognita silentio pre-
 mittere posset: dein ejusdem perfidi opera
 usus ad alium, qui alibi custodiebatur,

Sæc. XVII. A. C. 1606. literas dedit omni culpa vacantes, in
 margine tamen sat spatioſo arcana mali
 citrii ſucco deſcripſerat, ſignificans, quod
 Regis iudicium ſe declinaturum ſpera-
 ret, eo quod innocentia tutus idoneas
 probationes adverſus ſe deeſſe ſciret, ſi
 tamen ſecus accideret, neceſſe foret,
 ut unus homo moreretur pro populo.
 Hæ literæ ad Iudices delatæ, atque
 ad ignem admotæ latentem Scripturam
 prodiderant. Altera igitur die evoca-
 tur Garnetus: objicitur ei colloquium
 cum Patre Oldcorno habitum: quis
 ille, ex quo conjurationem cognove-
 rit, edicere jubetur. De iisdem ſeor-
 ſim interrogatur Oldcornus: Garnetus
 autem hæc duntaxat ex conjectura dici
 ratus, interpoſita etiam juramenti reli-
 gione, atque oppignorata animæ ſuæ
 ſalute ſe cum Oldcorno collocutum haud
 fuiſſe aſſeverabat, audiens autem, quod
 Oldcornus veritatem faſſus eſſet, de per-
 jurio inſimulatus reſpondit, ſe exiſti-
 maſſe, quod ſemetipſum accuſare non
 teneatur, deficientibus aliis teſtibus,
 atque argumentis: his dictis inſuper
 priorem ſuam aſſertionem excuſare ni-
 tebatur, tandem ingenue faſſus, hunc
 fuiſſe Patrem Grenwellum, qui a Ca-
 tesbyo de conjuratione plene edoctus
 ſibi quoque ante quinque Menſium de-
 curſum eandem manifeſtaſſet, Cates-
 byum

byum vero a se enixe rogatum fuisse, Sæc. XVII. A. C. 1606.
 ut is nihil contra Regem Regnumque
 moliretur, summo Pontifice severe
 prohibente, ne sese ulli conspirationi
 immisceret: preces quoque se fudisse fa-
 tebatur pro avertendo tanti mali succes-
 su & præveniendis acerbioribus edictis,
 quæ in proximis Comitibus contra Ca-
 tholicos condenda timuisset.

§. III.

*PP. Garnetus & Oldcornus coram
 Judicibus interrogati.*

Jam ter & vices Henricus Garnetus
 a decima tertia Februarii usque ad
 vigesimam sextam Martii diem interro-
 gatus biduo post in Londinensi Tribu-
 nali publico sistitur iudicio, in quo
 kius longa oratione crimina Garneto
 objecta prosequatur: Hic vero ad
 suam defensionem exponebat, quod li-
 cet de conjuratione diu per rumores
 cognovisset; magis vero specialia ex solo
 Patre Grenwello didicisset, interposito
 tamen Sacræ Confessionis sigillo, cu-
 jus arcani religionem violare nefas ef-
 fet: de cetero autem ipsemet ab hoc fa-
 cinore, quod ipse summopere detesta-
 retur, Grenwellum dehortatus fuisset.
 Hæc cum dixisset Garnetus, mox Cæ-
 cilius Saresberiensis Comes eum acerbe

P. Calmet
 Hist. Univ.
 l. 152. n. 38.
 P. Juven.
 l. 13. p. 5.
 Rapin. &
 Thuan. l. 6.
 Merc. Gal-
 lobelg. tom. 6.
 pag. 1.
 Epist. Ca-
 saubon. ad
 P. Front.
 edit. 1709.
 pag. 424.

Sæc. XVII. A. C. 1606. objurgans aiebat: „Si factum tanto-
 „pere detestatus es, cur Grenwello con-
 „fidenti absolutionem indulxisti, ante-
 „quam ipse etiam crimen suum ex ani-
 „mo damnasse, per pœnitentiam osten-
 „disset? dein, prosequeretur Comes,
 „nonne extra Confessionis sigillum con-
 „jurationis notitiam a Catesbio hausisti,
 „cur crimen tunc non indicasti? nonne
 „ex literis tuo chirographo munitis, at-
 „que ad Regem missis factus es, quod
 „P. Grenwellus hoc tibi non tanquam
 „peccatum, sed tanquam rem sibi a-
 „liunde cognitam consilii gratia mani-
 „festarit? nonne cum Grenwello dudum
 „in Essexia simul de hac conjuratione
 „consultasti: cur ab eodem interroga-
 „tus, quis futurus esset Regni Prote-
 „ctor, respondisti, differendum esse re-
 „sponsum, donec conatus finem suum
 „esset sortitus? Ad hæc omnia dur-
 „taxat reposuit Garnetus, se conjuratio-
 „nem ex P. Grenwello, qui suam de ea
 „sententiam exquirebat, didicisse, sed
 „eam fuisse detestatum. Haud multo
 „post quidam Nobiles Angli abs dubio sub-
 „ornati captivum invisebant ab eo scisci-
 „tantes, utrum si Ecclesia Romana ipsum
 „tanquam Martyrem esset declaratura,
 „ipse hanc rem comprobare auderet: ad
 „hæc exclamans Garnetus respondit:
Martyrem me, o qualem Martyrem? id
Eccle-

Ecclesia nunquam faciet, & ne faciat, Deum suppliciter rogo. Hoc ipsum Garneti responsum ex humilitate prolatum nequiter pro reæ conscientia inditio habebatur, Alter quoque ejus socius P. Oldcornus quæstioni subjectus de conjuratione, quam suis responsis approbasse accusabatur, fassus quidem erat, quod cum Littletono desuper sæpius fuisset collocutus, ita tamen, ut eam minime ratam haberet, & si quid obscurius dixisset, nec satis enucleate, idcirco ita locutus fuisset, quod timeret, ne insidiosè interrogaretur: Hæc responsio, cum non satisfaceret Judicibus, quinques tormentis acerrimis ad edicendam veritatem adigebatur, nihil inde mota hujus Viri constantia: unde Judices declarabant, Oldcornum ex animi sui sententia nequaquam locutum esse, ac verbo quidem conjurationem improbasse, eam tamen animo ratam habuisse, proin ex iis, quæ animo cellasset, perspicue reum esse. His ita agitatis P. Oldcorno mortis sententia denuntiatur.

§. IV.

P. Oldcornus Vigornia, & P. Garnetus Londini extremo supplicio affecti.

A 5

Pro-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Juven. hist.
Soc. l. 13.
pag. 5.

Gualt. Chron
Sæc. XVII.

Pronuntiata hac sententia P. Oldcornus unacum Thoma Abingtono ac Littletono Vigorniam ductus, die septima Aprilis laqueo suspensus, dissectusque est & Cor cum intestinis in ignem pro more conjectum. Habita peracti supplicii notitia Londini capitalis quoque sententia in Patrem Garnetum decernitur. Igitur die tertia Maji ad supplicii locum raptatur, ubi Cookius Regii Fisci Advocatus objecta eidem crimina nec testibus nec argumentis comprobata proponebat, quibus auditis hæc subjunxit Garnetus: „nemo ignorat „supplicii causam, in reticendo in Regem peccavi, poenitet me, veniamque a Regia sua Majestate suppliciter „deposco, machinationem contra Regem conflatam, si fuisset peracta, ex „animo, intimisque sensibus detestatus „fuissem: „ Postea Annam Walliam, quæ propter ipsum in carcere multa sustinuit, omni modo excusare nitebatur; cum vero a Montacutio interpellaretur, eoquod conjurationem sibi extra Confessionem a Catesbyo fuisse detectam negasset, cum tamen id pridem suo etiam chirographo testatus fuisset, mox intulit Garnetus: *quin igitur chirographum meum profers?* ille peram suam frustra excutiens, famulum, ut Garneti literas promeret, inclamabat, non sine vulgi

vulgi risu: postmodum Montacutius Sæc. XVII. A. C. 1606.
 Garnetum in preces effusum admone-
 bat, nullam vitæ spem superesse, proin-
 siquid nossent, quod Regi regnoque frau-
 di esset, id brevi moriturus exponeret; Ea dæmon
 respons. ad
 epist. Isac.
 Casaub. c. 8.
 p. 167.
 non enim jam tempus esset, in æquivo-
 cationibus opem quærere: Ad hæc Gar-
 netus commotior hæc reposuit: quous-
 que & quando æquivocationibus uti
 liceat, jam antea explicavi, asserens,
*quod inter amicos ea non liceat: quoties
 autem de necessaria defensione agitur, de-
 que injuria vitanda, aut de consequendo
 magno bono sine ullo cujusquam periculo,
 tunc licita est æquivocatio, nunc vero ad il-
 lam non confugio, nec plura, quam confes-
 sus sum, nosco.* Tandem pro Rege, Se-
 natu, pro se ac Catholicis Deum exo-
 rans, scalam patibulo admotam subiit,
 qua subtracta suspensus vitam finivit,
 corpore in quatuor partes discisso, ex
 cujus reliquiis, licet Martyres non pœ-
 na sed causa faciat, quicquam repor-
 tare certabant nonnulli, atque inter
 eos juvenis quidam nomine Joannes
 Wilkinsonus ex stramine, cui corpus im-
 positum erat, spicam recenti cruore im-
 butam sustulit, eamque lætus ad quam-
 dam piam Matronam detulit, quæ post
 temporis intervallum in hac spica igno-
 to penicillo depictum Garneti vultum,
 prehendisse dicebatur. Ea res urbem
 totam

Sæc. XVII. totam populari fama repleverat: Jaco-
A. C. 1606. bus autem Rex moleste ferens, quem

P. Juven.
pag. 167.

Thuan. l.c.

ut proditorem necasset, veluti Sanctum miraculis celebrari, hanc spicam sibi monstrari ab Hispano Oratore petiit: negavit autem hic penes se illam esse, sed jam in Belgium transmissam asseruit: unde non deerant malevolorum nonnulli, qui, cum rem miram negare haud possent, id non ad innocentiae, sed sanguinariae vindictae testimonium accidisse interpretarentur: adeo periculosum est in iis, quæ naturam fidemque humanam superesse dicuntur, quipiam ad cujusdam gloriam iniquissimis hisce temporibus edicere, quin non illico in odium retorqueatur.

Edidit Eduardus Cookius Regii Fiscii Advocatus librum postea ex Anglico in latinum idioma translatum, cui titulus: *Actio in Henricum Garnetum Societatis Jesuiticæ in Anglia Superiorem*, hanc vero lucubrationem confutare nitebatur P. Andreas Joannes Eudæmon Jesuita, edita apologia pro P. Garneto *contra actionem proditoriam Edovardi Cooki* (*) in qua tamen æquivocationis doctrinam nimis ardentem defendisse arguitur:

(*) Coloniae anno 1613. apud Kinckium impressa habetur æque ac illius responsio ad Isacci Casauboni epistolam.

tur: paulopost Ifaccus Casaubonus epistolam ad P. Frontonum Ducæum Jesuitam perscripsit, in qua Garnetum de conjuratione extra Confessionis secretum cognovisse, ex ipsius confessionibus, & testimonio propria manu exarrato ostendit, atque æquivocationis doctrinam multis argumentis exagitavit, contra quem non modo præfatus P. Andreas in sua responsione ad hanc epistolam, sed Heribertus Rosweidus & Julius Cæsar Bulengerus calamos suos acuerunt, Casaubonum econtrario defendentibus Richardo Montacutio & Jacobo Capello.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. V.

Juramenti ab omnibus subditis præstandi norma ab Anglicano Senatu præscripta.

Quantumvis scelus adeo detestabile nullis sat dignis poenis affici poterit, extra omne tamen dubium positum est, quod Angli ac præcipue Puritani inde occasionem nimis opportunam sumpserint, qua suo in fidem veram odio sub specioso tuendæ Regiæ Majestatis obtentu Catholicos immolare satagebant: Hac ratione stimulati Proceres, in comitiis adhuc congregati a Jacobo I. Rege edictum extorquebant, vicujus omnes Jesuitæ e Britannia ejecti sunt.

Rapin. hist. d' Angl. l. 17. André du Chesne Hist. d' Angl. Rog. Boke p. 29. hist. Univ. Calmet lib. 152. n. 38.

Sæc. XVII. sunt, prohibitive in hoc regnum redire, indictis gravissimis etiam pœnis.

A. C. 1606. Insuper ut *Papistas recusantes* (ita appellabant Catholicos, qui se domi continentes Sacris Protestantium communicare renuebant) a ceteris velut ex fidei thessera eo facilius internoscerent, eisdem quoddam juramentum obtrudebant, quod omnes subditi, nemine excepto præstarent: Vocabant illud juramentum fidelitatis, submissionis atque obedientiæ erga Regem, tanquam supremum, ac a nullo alio in terris Superiore dependentem: Differebat verbis a juramento, quod Henricus VIII. præscripserat, subitosque suos obstrinxerat, ut ipsum tanquam supremum Ecclesiæ Anglicanæ Caput agnoscerent; in nova enim hac jurandi norma duntaxat Rex tanquam supremus in rebus temporalibus, ac a summo Pontifice nullatenus dependens proponebatur; cum enim Jacobus I. juramentum Ecclesiasticæ obedientiæ a Catholicis sibi minime præstandum probe cognosceret, hinc ipsemet præconceptam hujus jurisjurandi formulam, in qua Proceres hæc verba: *Papa non habet potestatem excommunicandi Reges*, emendari, hæcque substitui iussit: *quod subditi per Pontificis excommunicationem se a Regis sui obedientia & fide subtrahendi jus non habeant.*

His

His igitur verbis conceptum erat hoc ^{Sæc. XVII.} A. C. 1606.
 juramentum: *Ego vere & sincere agnosco, & profiteor, testificor & declaro in conscientia mea coram Deo & mundo, quod supremus Dominus noster Rex Jacobus est legitimus & verus Rex hujus Regni & omnium aliarum Regionum & Statuum, quos possidet, Et quod Papa nec per seipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, nec per ulla media, cum quibuscunque aliis aliquam potestatem nec auctoritatem habeat deponendi Regem, de suo Regno, aliisque suis juribus disponendi, vel alteri Principi extero facultatem concedendi, ut eum invadat, vel ejus personam in suo Regno molestet, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ Majestatis obedientia & subjectione exonerandi; aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Majestatis suæ Personæ, statui, vel Regimini, vel aliquibus suis subditis infra sua Dominia afferendi. Item juro ex corde, quod non obstante declaratione, vel sententia excommunicationis, aut privationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel Successores suos &c. fidelitatem tamen, veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus, & Successoribus suis præstabo, & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes, & attentata*
 quæ-

Sæc. XVII. quæcunque, quæ contra personam illius, A. C. 1606. vel illorum, eorumque coronam, & dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam, omnemque opem impendam, revelare & Majestati suæ hæredibus, & Successoribus suis, manifestum facere omnes proditiones, & proditorias conspirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum ad notitiam vel auditum meum perverint.

Præterea juro, quod ex corde abhorreo, & abjuro tanquam impiam, & Hæreticam hanc doctrinam, & propositionem, quod Principes per Papam excommunicari, vel privari possint per suos subditos, vel alios quoscunque deponi, & occidi. Et ulterius credo, & in conscientia mea resolvo, quod nec Papa, nec alius quicunque potestatem habet memet ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi. Quod juramentum agnosco, recta, ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis, ac dispensationibus in contrarium renuntio. Hæc quæ omnia plane, ac sincere agnosco, & juro, juxta expressa verba per me hic prolata, & juxta planum, ac communem sensum, & intellectum eorundem verborum, absque ulla æquivocatione, aut mentali evasione, vel secreta reservatione quacunque, Hancque recognitionem, & agnitionem facio cordiali-

dialiter, voluntarie, & vere in vera fide Christiani viri, sic me Deus adjuvet.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Hoc juramentum inter Catholicos præcipue Ecclesiasticos grandes difficultates turbasque excitabat: Quidam enim cum Puritanis, id omnino licitum nilque Catholicæ etiam fidei adversum continere, sed unice civilem obedientiam a Rege deposci affirmabant; quidam in medio consistebant: non pauci vero nulla hæsitatione dicebant, quod juramentum civilis quidem obedientiæ Principibus omnino debitum sit, in præfato autem insuper spiritualis atque Ecclesiastica expetatur, eoquod ibidem potestas Papæ auctoritative ejuranda proponatur, necnon juramenta legitime relaxandi atque ex justa causa censuras ferendi facultas summo Pontifici denegari videatur. Nihilominus Georgius Blakwellus Archipresbyter putabat, fas esse, aliqua interpretatione adhibita juramentum exsolvere, quærendum tamen censuit, quid summo Pontifici videretur, hancque in rem ad eundem literas dedit.

§. VI.

Pauli V. literæ ad Anglos contra hoc juramentum.

Hist. Eccles. Tom. LIV.

B

Ac-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Balduin. in
Chron.
moral.

Accepta Blakwelli epistola summus Pontifex die vigesima secunda Septembris hoc anno ad Catholicos Anglos sequentes dedit literas: *Magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulationes & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide jugiter sustinuisistis. Sed cum intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est; accepimus namque compelli vos, gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse, profecto credimus, proculdubio eos, qui tanta constantia, atque fortitudine atrocissimas persecutiones, infinitas propemodum miseras hætenus perpessi sunt, ut immaculate ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse, ut coinquentur communionem desertorum divinæ legis. Nihilominus Zelo Pastoralis officii nostri impulsus, & pro paternæ sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.*

Quemadmodum etiam non potestis, absque evidentissima, gravissimaque divini honoris injuria, obligare vos juramento, quod similiter

militer maximo cum cordis nostri dolore Sæc. XVII.
audivimus, propositum vobis fuisse præ- A. C. 1606.
standum, infra scripti tenoris, videlicet:

Ego N. N. recitatis juramenti verbis
 ita prosequatur Pontifex.

Quæ cum ita sint, vobis ex verbis ipsis per-
 spicuum esse debet, quod hujusmodi juramen-
 tum, salva fide catholica, & salute anima-
 rum vestrarum, præstari non potest, cum
 multa contineat, quæ fidei & saluti aperte
 adversantur. Propterea admonemus vos,
 ut ab hoc atque similibus juramentis præ-
 standis omnino caveatis: quod quidem eo
 acrius exigimus a vobis, quia experti vestræ
 fidei constantiam, quæ tanquam aurum in
 fornace perpetuo tribulationis igne probata
 est, pro comperto habemus, vos alacri ani-
 mo subituros esse quæcunque atrocita tormen-
 ta, ac mortem denique ipsam constanter op-
 petituros, potius quam Dei Majestatem ulla
 in re lædatis. Et fiducia nostra magis con-
 firmatur ex his, quæ quotidie nobis affe-
 runtur de egregia virtute, atque fortitudi-
 ne, quæ non secus ac in Ecclesiæ primordiis
 resplendet novissimis hisce temporibus in
 Martyribus vestris.

State ergo succincti lumbos vestros in
 veritate, & induti lorica justitiæ sumen-
 tes scutum fidei: confortamini in Domino,
 & in potentia virtutis ejus, nec quicquam
 vos detineat, ipse autem qui coronaturus
 vos, certamina vestra in cælo intuetur, bo-

Sæc. XVII. A. C. 1606. num opus, quod in vobis capit, perficiet. Nostis quia discipulis suis pollicitus est, se nunquam relicturum eos esse orphanos, fidelis enim est, qui repromisit, retinete igitur disciplinam ejus, hoc est, radicati, & fundati in charitate, quidquid agitis, quidquid conamini in simplicitate cordis & unitate Spiritus, sine murmuratione aut hæsitatione, unanimes facite, siquidem in hoc cognoscunt omnes, quia Discipuli Christi sumus, si dilectionem adinvicem habuerimus, quæ quidem Charitas, cum sit omnibus Christi fidelibus maxime appetenda, vobis certe dilectissimi filii prorsus necessaria est. Hac enim vestra charitate, diaboli potentia infringitur, qui nunc adversus vos tantopere insurgit, cum ipsa contentionibus, atque dissidiis nostrorum filiorum præcipue nitatur.

Hortamur itaque vos per viscera Domini Jesu Christi, cujus Charitate e faucibus æternæ mortis erepti sumus, ut ante omnia mutuam inter vos charitatem habeatis: præscripsit sane vobis præcepta maxime utilia, de fraterna Charitate vicissim exercenda, felicitis recordationis Clemens Papa VIII. suis literis in forma brevis, ad dilectum filium Magistrum Georgium, Archipresbyterum Regni Angliæ, datis die quinta mensis Octobris anno millesimo sexcentesimo tertio. Ea igitur diligenter exequimini, & ne ulla difficultate, aut ambiguitate remoremmini, præcipimus vobis, ut illarum literarum

rarum verba ad amussim servetis, & simpliciter, prout sonant, & jacent, accipiatis, intelligatis, sublata omni facultate aliter illa interpretandi, interim nos nunquam cessabimus Deum Patrem misericordiarum precari, ut afflictiones & labores vestros clementer respiciat, & vos continua pietate custodiat, atque defendat, quibus Apostolicam benedictionem nostram clementer impertimur.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. VII.

Severum Jacobi I. edictum contra Catholicos.

Hoc item anno Jacobus Rex severum promulgari jussit edictum, non modo *Parlamentariis*, ut vocant, sed & *Puritanis* Regem in Catholicos vehementer incendentes; cum enim isti vociferarentur, defecisse Regem ad Catholicos, minasque palam jactarent, & clam agitent insidias, Jacobus, inquietam ut placaret gentem, odium jam antea in eam conceptum effudit in Catholicos, sancito hoc edicto, cujus articuli continentur in quodam libello Rotomagi impresso sub hoc titulo: *Breviculus duorum nuper in publicis comitiis Anglicanis actorum anno Christi 1606. Jacobi Angliæ Regis tertio.* Ex hoc præcipua duntaxat delibabimus edicti capita, & primus quidem articulus, in

Juvenc. Hist. Soc. l. 13. p. 5. Eudæmon Paral. tort. cap. 3. Brevicul. duor. act.

Sæc. XVII. præfato Breviculo ita præfertur: A. C. 1606 Quando jam satis constat, Romanæ Ecclesiæ Seditatores nefario Jesuitarum, aliorumque Sacerdotum consilio Regi, Regnoque perniciem meditari, visum est Regiæ Majestati, Regniq[ue] Proceribus, & statibus, qui ad hoc Parlamentum convenerunt, omnes imprimis leges tempore Elisabethæ & aliorum Regum contra Papistas stabilitas confirmare ratasque habere. Equidem Ciceltrensis Pseudo-Episcopus in suo Tortore negat, hanc legum innovationem in primo articulo contineri, attamen id parum referre videtur, cum ipsemet pag. 141. fateatur, quod acta publica comitiorum anni primi Jacobi VI. apertissime cap. 4. testentur, confirmatas ibi fuisse leges omnes ab Elisabetha in Catholicos latas.

II. Quot annis semel deferantur ad Judices eorum nomina, qui de menstrua absentia notati sunt, etiamsi aliquas habeant proles novennes, vel qui apud Parentes agant: tum servorum etiam nomina, ni deferantur, decem florenis mulctentur, quorum id ex lege munus est. III. Potestas Judicibus sit, ut statutis temporibus, quibus jus dici solet, bis quaterque in anno audiant offensas hujusmodi, atque statuant in reos ex legis sententia, quod si tunc se subducant, rei sint, præconio publico sistendi in terminum proximum juridicum: quo tempore ni se stiterint,
pro

pro convictis habeantur. IV. Edicitur, ut Sæc. XVII. A. C. 1606.
 qui pertinacis absentie a Sacris legitime
 convictus fuerit vi legis, quæ jam dudum
 ea de re rogata fuerat, Paschæ termino vel
 Michaelis, qui proxime tum subsequetur,
 postquam ita convictus fuerit, solvat fisco
 Regio multæ nomine libras nostratas vi-
 ginti pro ratione Mensium, qui tabulis ac-
 cusatoriis comprehensi sunt, atque ut ejus-
 dem deinceps multa in menses post singulos
 teneatur, citra novam ullam in iudicio po-
 stulationem, præter quam si duce tertiæ ter-
 rarum in manu Regia sint: hoc autem quo-
 adusque reus legi pareat de sacris adeundis:
 qui vero partem multæ menstruæ non sol-
 verit, ei bona omnia mobilia, ac duce im-
 mobilium partes pereant fisco adjudicandæ.
 V. Cum vero de multa illa viginti libra-
 rum compertum sit, magis onerosam esse eam
 iis, qui tenuiore fortuna sunt, quam qui am-
 pla; quodque ditiores hi, dum terris suis sibi
 frui datur, viginti libras malunt pendere,
 unde illis, etiam multa soluta, copiose su-
 perest, quod vero ita superest, in Jesuitas
 insumunt, aliosque, qui regno huic, reipublicæ-
 que infesti sunt, hinc edicitur, ut Fisco Regio
 optio fiat, utrum viginti libras mensura-
 rum accipere, an vero illarum nomine malit
 duas tertias adire terrarum, relicta usu-
 fructuariis tertia sua. VI. Quicumque con-
 victus fuerit, quod rei sacre interesse perti-
 naciter recusarit, post autem conformem se

Sæc. XVII reddiderit, ei ut non satis sit, si templa
 A C 1606. adeat, nisi & intra annum sacra Eucharis-
 tia communicet, atque ita deinceps semel sal-
 tem quot annis, qui secus faxit, pecuniaria
 multa luat, anno primo viginti, secundo
 quadraginta, tertio sexaginta librarum no-
 strarum, si ubi semel communicavit, post de-
 tredecim iterum, quot annis sexaginta. VII.
 Si contigerit aliquem relabi a frequentatio-
 ne templorum, qui hactenus frequentasset, sta-
 tim annua sexcentorum florenorum pœna te-
 neatur. VIII. Ut vero plenius cognosca-
 tur, quo sint in Regem animo subditi, vo-
 lumus, & ordinamus, ut omnes Episcopi,
 atque publici Magistratus, aut Præsides pro-
 vinciarum proponere possint, ac debeant uni-
 versis quomodolibet pro Papistis suspectis ab
 anno decimo octavo ætatis juramentum in-
 fra scriptum, cum vero juraverint, nomen
 ac patriam subscribent, idque in tabulas publi-
 cas referetur, qui autem jurare noluerit, in
 publicos carceres asportetur. IX. Idem in-
 super vinctus in proxime futuro iudicum tri-
 bunalis sistetur, iterumque eidem juramentum
 proponetur; quod si tunc recusabit præstare,
 legis periculo obstringatur illius, quæ Præ-
 munire vocatur, hoc est statim amittat bona
 omnia mobilia terrasque & redditus omnes,
 & ipse perpetuo carceri damnetur. X. Ta-
 bulæ illæ, quibus hactenus quis reperitur ac-
 cusatus, quod a templis absuerit, vim om-
 nem & robur habeant; non obstante quo-
 cunque

cunque errore, qui in accusatione formanda, Sæc. XVII.
 die dicundo, aliterve contigerit, illud iterum A. C. 1606.
 providentes, ut si quis resipiscat, & juxta
 leges Regni ad templa nostra conveniat, &
 cœnam more nostro suscipiat, legum benefi-
 cio ad defendendum potiatur. XI. Quia
 experientia jam probamus, eos, qui ad ex-
 terorum Principum bella, militiamque se
 conferunt, Jesuitarum ac fugitivorum con-
 gressu, consilioque & a vera Religione, &
 a Regis sui famulatu divelli: statuitur au-
 thoritate prædicta, ut quicumque hujus Re-
 gni subditus, post decimum diem Junii in-
 sequentem, principibus exteris militare vo-
 luerit, juramentum præfatum præstet, alio-
 qui perduellis habeatur, qui secus faxit, pro
 fellone habeatur; fraude enim Jesuitarum
 animum mutat, qui trans mare eurrit. XII.
 Insuper decernimus, ut si quis nobilis, vel qui
 hæctenus Centurionis, aut Locumtenentis,
 aut quodvis militare officium gesserit, in ex-
 teris ditionibus servire voluerit, is una cum
 duobus fidei jussoribus Regi se obliget pro
 summa ad minus ducentorum florenorum;
 quod nullo unquam tempore Romanæ Sedis
 Episcopo reconciliabitur, quam cautionem
 nisi proficiscens dederit, mortis reus erit.
 Et ut certius constet, qui omiserint, custo-
 des portuum teneantur, & juramentum præ-
 dictum, & cautionem datam in curia publica
 libris notare, & qui neglexerint, toties quo-
 ties quinquaginta florenorum summam sol-

Sæc. XVII. vent. A. C. 1606. XIII. Si quis de subditis regis quem
 vel alio quocunque loco intra ditiones Re-
 gias, vel absolvere tentet, vel abducere a
 naturali sua obedientia Regi debita, aut Pa-
 pæ reconciliet, Sedive Romanæ, vel eo ab-
 ducat, ut obedientiam suam spondeat cui-
 cunque authoritati prætensæ, seu Sedis Ro-
 manæ, seu exteri, vel Principis, vel pote-
 statis cujuscunque qui fecerit, quive instiga-
 tor, consultor, aut patrocinator, conscius-
 ve facti fuerit, læsæ Majestatis crimine te-
 neatur. Eademque ut pœna plectatur, cui
 persuasum est, quive abductus a fidelitate,
 vel reconciliatus, vel ejusmodi prætensæ au-
 thoritati fidem sponderit, qui tamen ita
 reconciliati, si intra sextum a reditu suo
 diem Regiæ se Majestati, illiusque legibus
 parituros fidem dederint, suscepto eo, quod
 hac lege propositum, atque altero illo (quod
 Elisabetha primo conceptum olim) prima-
 tus juramento, eis ut hoc nomine lex ista
 capitalis ne fiat. XIV. Quicunque vel domi-
 suæ famulum retinebit convictorem, aut
 peregrinum, vel extra domum quemquam a-
 luerit, aut salarium quodcunque pro famu-
 latu dederit, qui per integrum mensem a
 templis abstinuerit, pro singulis mensibus
 centum exsolvat florenos. XV. Denique
 ut facilius hæc omnia executioni mandentur,
 statuimus, & facultatem facimus, præsidi-
 bus provinciarum, atque eorum substitutis,
 capien-

capiendi quemcunque ob prædicta crimina Sæc. XVII.
 accusatum; & si opus sit domos ipsorum, A. C. 1606.
 vel alias quascunque ædes, in quibus latitare
 possunt, irrumpendi, reosque trahendi in
 custodiam publicam.

§. VIII.

*Apologia Jacobi I. Angliæ Regis
 pro suo fidelitatis juramento.*

Hæ leges Catholicos metu, ac peri-
 culis, hæreticos vero acriori in eos
 odio atque immensa lætitia implebant:
 Attamen cum regionum satellitum se-
 veritas imo & Præconum & Præsulum,
 qui lictorum partibus contra Catholicos
 propemodum fungebantur, crudelitas
 ingentem Regi conflaret invidiam, hinc
 ipsemet juramenti sui defensionem ad-
 versus duo Pontificis diplomata & Bel-
 larmini Cardinalis epistolam, quæ an-
 no sequenti adducetur, conscribere ag-
 gressus est, cui hunc præfixit titulum:
*Triplici nodo triplex Cuneus, seu Apo-
 logia pro juramento fidelitatis.* Igitur Rex
 nuperam conjurationem enarrans in ce-
 teros Catholicos nihil durius statutum
 fuisse ait, sed duntaxat quasdam leges
 latas de mediis, quibus ejusmodi sce-
 lerum portenta deinceps caverentur. In
 his erat, inquiebat Rex, *jusjurandum a
 subditis meis exigendum, quo testarentur se*

*Opera Regia
 Jacobi I.
 Apol. p. 112.
 Thoiras l. c.*

in

Sæc. XVII. A. C. 1606. *in fide & obsequio meo permansuros: ut Catholicos, qui fidelitatem non ejurarunt, secernerem ab iis, qui læscæ Majestatis crimina sola Religionis disparitate excusari posse credebant: multi etiam ex Pontificiis jurarunt in verba: Ast neque Sathanas quid nocentius potuisset comminisci, quam quod accidit a Romani Pontificis diplomate huc transmissa & publicata, quo ille suis omnibus hoc juramentum interdixit: unde nova diffidentiae semina inter me & Papistas meos sparsa sunt, qui aut cum vitæ rerumque omnium jactura debitum mihi obsequium denegare, aut (si Pontifici credimus) animas suas ejurata Catholica fide æterno devovere coguntur exitio. Hæc præfatus Rex, totum Pontificis diploma primum recitat, postmodum Elisabethæ Reginae clementiam erga Catholicos exaggerans aiebat, quod ante Pii V. excommunicationis Bullam nullius Catholici Sanguis effusus, gravior paulo poena irrogata, nec acerbior lex lata fuerit, quæ autem postea in Catholicos gesta fuissent, justissima, sed parca fuisse ait, summorum scelerum supplicia: his præmissis, cum se a Papa crimine persecutionis damnari ægre ferret, innocentiam suam vindicaturus hæc subjunxit: Postquam defunctæ Manibus justa feci, liceat mihi cum D. Paulo meam ipsius famam ab innumeris, quibus premitur calumniis asserere,*

ferere, & quo me pacto erga Papistas sem- Sæc. XVII.
 per gesserim, bona fide testari. Hoc sancte A. C. 1606.
 affirmem, quantacunque demum fuerit (quæ
 certe fuit maxima) decessoris mei clementia
 & misericordia in Papistas, meam tamen
 multo semper fuisse majorem, & omnino
 tantam, ut illius fiducia Pontificii nostri fa-
 stuosiores quam prius suæ Religionis liber-
 tatem, & jura omnia cum ceteris paria
 certo certius a me sibi promitterent; non
 pauci vero e præstantissimis meis subditis in-
 dulgentia hac mea perculsi & attoniti, con-
 tinuo præsagirent eventus amaritudinem,
 qualis in sulphurea conjuratione contigit.
 Quot ego notissimæ contumaciæ Papistas in
 equestrem ordinem adlegi? quanta utriusque
 religionis homines æquabilitate admisi, hos-
 que & illos omni favoris & honoris genere
 ornavi? quam liber & inoffensus in aulam
 meam & comitatum accessus omnium ordi-
 num Pontificiis semper patuit? & præter
 cetera, quanta liberalitate & promptitudi-
 ne multatitiæ pecuniæ illis feci gratiam?
 neque ignotum est, quo pacto ipse iudicibus
 injunxerim, ut damnatorum quoque Sacer-
 dotum vitæ parcerent, addito clementissimo
 edicto, quo Sacerdotibus omnibus necdum cu-
 stodia detentis ante certum diem abeundi e
 regno copia facta est, incarceratis quoque
 & damnatis venia concessa. Unde hi tan-
 quam nihil admisissent, sui juris facti sunt,
 & qui post comprehensi fuere trans mare a-
 man-

Sæc. XVII. mandati sua fruebantur libertate. Dies me
A. C. 1606. citius vel charta deficeret quam omnia in

Pontificios benefacta, in singulos, in univer-
sos, collata percenserem, qua in enumera-
tione singulæ lineæ totidem forent Romani
Pontificis accusationes, tanta nimirum in-
gratitudine tantam compensantis benevo-
lentiam.

Atque ita lachrymas omnes ex persecu-
tionis mærore per Pontificias fluentes genas
satis (ni fallor) absterimus. Verum ille
si politicæ tantum prudentiæ compos fuisset,
veritatis licet & justitiæ securus, debuerat
in hac querela meum & nuperæ Regine im-
perium distinguere, & potius laudando per-
petuam facere, quam in me cernebat clemên-
tiam. Verum etenim illud est, quod vulgo
dici solet, apud generosos animos plurimum
quoque posse fictam benevolentie imputatio-
nem. Est autem illa de persecutione mani-
festa calumnia: neque probari potest, ex quo
ego hoc regnum adii quemquam hominum re-
ligionis causa fuisse exutum vita: nisi forte
jam ex novo Pontificis interdicto, quo de-
bitum mihi prohibetur obsequium, justa oria-
tur in multos animadvertendi necessitas, quod
si evenerit, Pontifici imputetur eorum san-
guis, qui unus est ejus fundendi auctor.

Alteram illam Pontificii Brevis partem,
qua vetat suos, ne nostras Ecclesias ritusve
aut ceremonias frequentent, non fert animus
nunc attingere; cum id mihi negotii tan-
tum

tum dederim, ut orbi terrarum illius publicam injuriam, quod subditos meos a justissima obsequii professione avertat.

Sæc. XVII.

A. C. 1606.

Ceterum verba ipsa, quibus damnatur juramentum, numero quidem pauca, sed pondere gravissima sunt; nempe id perspicuum esse debere Catholicis omnibus, quod hujusmodi juramentum, salva fide Catholica & salute animarum suarum præstare non possint; cum multa contineat, quæ salutis & fidei aperte adversentur, huic homini quadrat vetus illud Philosophi; multa dicit, sed pauca probat, imo vero nihil omnino probat. Nam quod obsequii professio erga Principem fidei & salutis subditorum aperte adversetur, est supra nostram Theologiam, & peregrinum est, & insolens dogma, & eo homine penitus indignum, qui se universalem Episcopum, & oecumenicum Christianorum Pastorem censet appellandum. Legi non semel in sacro codice, subditorum esse Principibus suis seu bonis seu malis etiam conscientie causa obedire.

Hanc in rem postea Rex varia Sacræ Paginæ, SS. Patrum & Conciliorum testimonia allegans hæc subjunxit: Pontifex igitur, penes quem est privilegium non errandi, & novos, cum libet, fidei articulos condendi, mea quidem sententia prius definire debuerat, esse hunc unum e Catholice fidei articulis, quam credendi obediendique necessitatem Catholicis imposuisset:

Sæc. XVII. *fuisse*: Sed responsionem nostram ad hanc
 A. C. 1606. *Pontificii Brevis partem hoc concludamus*
dilemmate:

In rebus temporalibus vel licet obtemperare Principi vel non licet? Si licet (quod nemo unquam vocavit in dubium) cur ita iniquus est Pontifex & ferox in Catholicos, ut licitum iis interdicit obsequium? sin æstimet, non licere, cur suæ opinionis nullam attulit causam? cur non iis concedit, vel ut rectius dicam, cur non persuadet ipsis illum Regem, ut deserant, cui obedire non debent.

Quod autem tanta contentione eos hortatur ad constantiam, & ut martyrium, ceteraque adversa propter Religionem forti ferant animo; id solum respondeo, si æqua sit & honesta causa, quam illis commendat, necessariam quoque videri hortationem ejus: sin, ut est & ego modo probavi, inutilis ea est & vana, tum nulli bono esse hortationem ejusmodi, nisi ut ipse reum se faciat Sanguinis tot ovium suarum, quas hic sciens volensque abjicit, non modo vitas, opes & familias, ubi nihil opus est evertens, verum etiam Papistis omnibus sædam inurens maculam; quasi fieri nequiret, ut qui Papisticam Religionem serio coleret, Principi alicui fidelis subditus esse posset, vel sane illius Religionis professio cum debito Magistratui obsequio haud quaquam posset subsistere.

Tan-

Tandem Pontificem excusat, quod Sæc. XVII.
A. C. 1606.
forte vano rumore deceptus præpropere hoc diploma transmiserit, nec mirum videri debeat, quod Romæ in tam ampla civitate *Judex alias non iniquus* calumnia tamen circumventus inique judicet, quod nonnulli Pio V. & Clementi VIII. non dubitant accidisse: *quinimo* subjunxerat Rex, *ipsi Pontificii eruditionis & prudentiæ fama celebriores, v. luti meus Archipresbyter, persuasum habuerunt non fuisse hoc diploma Pontificis, sed famosum libellum in Pontificis invidiam concinnatum, vel Papam calumniatorum dolis circumventum hoc scripsisse.* Qua in mente erant non rudiores solum *Papistæ, sed etiam qui eruditionis & prudentiæ fama inter eos præcellebant, e quorum numero erat & Archipresbyter.*

Ceterum hanc Jacobi I. Regis apologiam Bellarminus Cardinalis refellere aggrediebatur, ejus tamen responsio in Indicem librorum prohibitorum fuit rejecta, jussu Pauli V. Pontificis, post cuius tamen obitum, a Romano illo indice expuncta est, cur autem istud Bellarmini scriptum Paulo V. displicuerit, causam assignant nonnulli, quia hic Papa improbaverat, quod Bellarminus indirectam duntaxat potestatem, non autem per se proximam ac directam supra Reges ratione civilis & profani

Hist. Eccles. Tom. LIV. C Prin-

Sæc. XVII. Principatus summo Pontifici attribue-
 rit: an vero hæc caussa subfuerit, val-
 de ambiguum est

§. IX.

Synodus Avenionensis.

*Gallia Chri-
 stiana San-
 marth. t. I.
 p. 836. ad
 ann. 1606.
 Abbrégé de
 l'hist. Eccl.*

Hoc anno Joannes Franciscus Bordi-
 nus patria Romanus Presbyter Con-
 gregationis Oratorii ex Cabellicensi Epi-
 scopatu ad Avenionensem translatus
 die vigesima quinta Octobris circa di-
 sciplinam Ecclesiasticam Synodum cele-
 brabat, cujus tamen decreta cum præter
 ea, quæ ceteris ejusmodi Synodis com-
 munita sunt, nihil singulare complectan-
 tur, iis sigillatim recensendis super-
 sedemus.

§. X.

*Actum de gratia seipsa efficaci. Con-
 gregatio XII. XIII. XIV.*

*Hist. Congr.
 de auxil.
 l. 4. c. 14.*

Dum interim Catholica fides variis
 mediis in Anglia opprimebatur,
 Paulus V. Pontifex Maximus Gratiæ
 doctrinam ab omni errore Romæ toto
 studio vindicare conatus est. Hunc in
 finem coram ipso die decima Januarii
 duodecima habebatur Congregatio, in
 qua Bastida Jesuita, ut Thomistarum
 physicam Prædeterminationem cum Cal-
 vini

vini erroribus componeret, tam prolixè perorabat, ut evolutò præscripti temporis intervallo summus Pontifex Jesuitis significari juberet, quatenus in proxima Sessione suas contra hanc Prædeterminationem rationes brevius, quam soliti essent, proferrent, simulque Censoribus illud traderent scriptum, quo Thomistarum doctrinam cum Calvinii sententia conferre nitebantur. Die autem vigesima quinta ejusdem Mensis tertia decima celebrata est Congregatio, in qua rursus de Gratia ex se efficaci rationibus Theologicis agebatur: hanc in rem Bastida primo ex libertatis læsione, secundo ex auxilii sufficientis everfione, ac tertio ex Dei influxu in peccatum sua petebat argumenta, quæ tamen P. Lemosius diluit, demonstrans primo, adeo non lædi libertatem, ut potius ea perfectius adstruatur, secundo, argumentum de auxilio sufficienti jam dudum a S. Thomæ *quæst. 1. de potentia art. 1. ad primum* fuisse solum, ac tertio Calvinii influxum in peccatum toto cælo distare a Thomistico, luculenter comprobabat. His addidit, Bastidæ hallucinationem in eo versari, quod is de physica prædeterminatione, quæ ad naturæ ordinem spectat, egerit, cum tamen in præsentiarum duntaxat de gratia ad bonum libere exercendum

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. A. C. 1606. cendum præmovente ageretur. Postquam vero Lemosius Bastidæ objecerat, quod Christus efficacissime fuerit prædeterminatus Patris sui præcepto ad mortem, & tamen liberrime, ac meritorie eandem subierit, Bastida negans in Christo fuisse potestatem dissentiendi, inde inferebat, in homine prædeterminato, deesse potestatem ad consentiendum & non consentiendum. His diu agitatæ Censores die prima Februarii rationibus, utrinque expensis censuerunt, *doctrinam de gratia ex se efficaci esse tutam, & argumentis adversariorum non obstantibus persistendum esse in decretis.* Ceteris vero omnibus solus refragabatur Bovius Carmelitani Collegii Regens, olim Societatis Alumnus.

§. XI.

Congregatio XV. XVI.

Hist. Controv. l. 6. c. 21. & 22. Serry hist. Congr. l. 4. c. 16. & seqq. Acta Lemosium. 1176. Eadem hæc quæstio rursus die decima quinta Mensis Februarii in Congregatione decima quinta agitabatur: Hanc in rem Bastida fuscè admodum probare aggressus est, quod Divus Thomas non admiserit ejusmodi præmotionem, quæ ita physice voluntatem prædeterminet, ut cum ea nec dissensus conjungi, nec sine illa actus elici valeat. Verum hujus asserti sensum explicans Lemosius sub-

subjunct, quod perperam Thomistis Sæc. XVII.
 affingatur, sine præmotione actum elici A. C. 1606.
 non *posse*, cum ex eorum sententia per
 præmotionem voluntas actum eliciendi
 potentiam non acquirat, sed illa hanc
 præsupponat, atque intactam relinquat:
 Addidit tamen Bastida, prædetermi-
 nationem physicam, Sancto Thomæ in-
 cognitam, ac unice a Dominico Ban-
 nesio, *qui nil nisi Calvinum sapit*, inven-
 tam fuisse. Eapropter Lemosius excan-
 descens, Jesuitis exprobrabat, quod
 antiquiores ipsorum Authores, imo &
 ipsemet Molina, hanc fuisse Divi Tho-
 mæ doctrinam testati fuerint, ipsisque
 a suo Generali injunctum, ut hujus
 Sancti Doctoris sententias sequerentur,
 atque inter illas hanc: *cum secundæ caus-
 sæ operantur, Deus in illas primum influit,
 easque movet*: observandum tamen, quod
 Bastida in hac Congregatione probatu-
 rus, Præmotionis doctrinam esse alie-
 nam a D. Thoma, sub sermonis initium
 de Præmotione ista in ordine naturæ
 ita perplexe locutus sit, ut interiorum
 animi sui sensum, licet studiose occul-
 tarit, haud obscure tamen prodiderit
 mentem jam tum in Thomisticas præ-
 motiones tam inclinatum, quam a pro-
 priis, quæ declamabat, verbis dissimulatum
 fuisse. Ceterum sequens tota Congre-
 gatio decima sexta die vigesimo primo

Sæc. XVII. ejusd. Mensis habita nonnisi ultro citro-
A. C. 1606. que allatis Theologorum testimoniis in-
 fumebatur, perinde acsi de quæstione
 mere Theologica ageretur, quæ si talis
 duntaxat fuisset, tam longa ac operosa
 concertatio plane supervacanea censeretur
 posset: Nihilominus die prima Mensis
 Martii resolvit Congregatio, perman-
 endum esse in decisio: obstabat rur-
 sus huic judicio Bovius, asserens, quod
 secus Deus prædeterminaret ad actum
 peccati.

§. XII.

*Pauli V. Pontificis consilium de fe-
renda sententia.*

*Ex Archiv.
 Rom. Bibl.
 Angel. Per-
 ron. in ep.
 ad Henric.
 VIII.*

Perpenſis igitur Conſultorum cenſuris
 ſummus Pontifex die octava Mensis
 Martii Congregatione habita Cardinali-
 bus deliberandum propoſuit, num e
 communi bono Eccleſiæ foret, ut Apo-
 ſtolico judicio hæc controverſia finire-
 tur? aſſenſere omnes excepto Bellar-
 mino & Perronio, hic ut Henrico IV. ille
 ut Societati ancillaretur. Ut primum
 Jeſuitis hoc Pontificis conſilium inno-
 tuit, mox omnem movebant lapidem,
 ut illius ſucceſſum aut impedirent, aut
 ſaltem retardarent, quocirca quatuor
 vaſtiſſimos ſcriptorum faſciculos, quo-
 rum tres jam ante quinquenniſm Cle-
 menti

menti VIII. tradiderant, denuo Paulo V. Sæc. XVII.
A. C. 1606.
discutiendos obtulere. Cessit eorum

precibus Pontifex, ne forte se non factis audiri rursus quererentur: Jacobo igitur Bossutio uni ex Consultoribus Doctori Theologo ex Sorbona Parisiensi hæc scripta maturius examinanda commisit, qui prolixa censura demonstratum ibat, quod in hoc scripto Moliniana sententiæ dogma verbis ambiguis, atque in omnem sensum versatilibus expositum sit, econtra Thomistarum doctrina in sensu ab eorum mente remotissimo explicata: cum autem Jesuitæ suam sententiam plurium Theologorum eidem subscribentium, necnon octo Academicarum numero fulcirent, ad hæc reposuit Bossutius, id haud mirum esse, eoquod ea sit erroris indoles, ut serpat velut cancer, multique, qui falsa eorum expositione delusi erant, huic opinioni subscripsissent: has autem Academicas, de quarum suffragio Jesuitæ gloriabantur, ipsimet Jesuitæ potissima ex parte moderarentur, Theologicas Cathedras occuparent, ac cuncta pro suo arbitrio regerent, ita, ut potius Jesuitarum Collegia, quam Academicæ nominari possent, ac insuper ex quinquaginta Doctoribus, qui earum iudiciis subscripserant, quadraginta circiter ex eadem Societate, ceteri vero

Sæc. XVII. ejus Discipuli, atque ab eis in hac doctrina imbuti nominarentur, quamvis Jesuitæ, ne eorum testimonia suspecta viderentur, studiose instituti Jesuitici nomen reticuisissent: Scripta hac censura Bossutius hæc subjunxit: *Beatissime Pater, hæc sunt, quæ mihi visa sunt observanda in scripturis PP. Societatis, quas vestra Sanctitas voluit a nobis examinari: video, tenui meo judicio, non agi apud Vestram Sanctitatem ea fide & candore animi, quem res tam seria, & Sanctitatis vestrae veneratio postularet.*

§. XIII.

Actum de delineando definitionis diplomate.

Act. Secret. Hist. Congr. l. 4. c. 14. l. 5. sect. 7. c. 4. Die nona Martii summus Pontifex accersitis iis, qui Congregationi a secretis erant, injunxit, ut succinctam, claramque censurarum omnium summam edi curarent, in qua proscripti errores Pontificio diplomate postea damnandi notarentur: Præterea præcepit, ut Consultores separatim, nulla inter se habita consultatione, tria hæc scriptis mandarent. I. Quid fide tenendum sit, quidve damnandum, quave ratione &c. II. Qua parte ab hæreticis Catholici differant. III. Quis modus in edendo Pontificio diplomate servari posset? Cum autem

autem Pontifex ab iisdem Consultori-
 bus, qui prius in Molinæ caussa
 suas censuras tulerant, errorum elen-
 chum confici postulasset, ac duntaxat
 de methodo in diplomate observanda
 eorum iudicium expetiisset, omnino cer-
 tum est, quod Pontifex ex Cardinalium
 consensu (*) adversus Molinistas hanc
 controversiam suo diplomate definire
 statuerit, nihilque sancito hoc iudicio
 defuerit præter solemnem illius promul-
 gationem. Ut autem in futuro diplo-
 mate cuncta ad normam Concilii Tri-
 dentini explanarentur, Pontifex Cardi-
 nali Perronio negotium dabat, ut om-
 nia acta manuscripta præfati Concilii
 sedulo discuteret: prout testatur idem
 Cardinalis in sua ad Gallix Regem die
 undecima Julii data epistola in hæc ver-
 ba: *Quantum attinet ad controversiam Do-*
minicanos inter & Jesuitas, de cujus pro-
gressu,

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

*Ambassad.
 & negot.
 Card. du
 Perron fol.
 493.*

C 5

(*) Die octava Martii habita cum omni-
 bus Cardinalibus matura deliberatione decre-
 tum fuit, ut hæc controversia Apostolica de-
 finitione terminaretur, decem ex præfatis
 Cardinalibus id unanimiter concludentibus,
 & duntaxat Bellarmino & Perronio reclaman-
 tibus, qui certe sese non opposuissent, si Papa
 Molinæ doctrinam approbare, & Thomista-
 rum prædeterminationem tanquam erroneam
 in fide damnare, suo diplomate intendisset.

Sæc. XVII. A. C. 1606. gressu, aut mora, voluit sua Majestas fieri certior; Pontifex ante duos menses acta integra Concilii Tridentini, Historiasque ac Tractatus omnes eo spectantes, quæ in arca S. Angeli asservabantur, jussit in manus meas consignari; ut hæc super materia controversa consulerem, verum quia sunt ingentis molis scripta, & ex medicorum judicio, his præsertim caloribus, studia moderanda sunt, necdum est lectio ad calcem perducta, interim supplico Majestati tuæ, ut hanc rem secreto recipiat, quoniam id ita desideravit Pontifex, ne innotescat cuiquam, hoc mihi negotium fuisse a sua Sanctitate commissum.

Tandem exeunte Mense Augusto Consultores sua quisque sensa, judicia, & rationes de damnandis Molinæ erroribus summo Pontifici tradiderunt. Tum vero Pontifex ponderatis singulorum judiciis, quod antea seorsim a Consultoribus expendi jusserat, nunc conjunctim quoque, & mutuo inter se habita collatione discuti voluit: eapropter die quinta Octobris præcepit, ut præfati Consultores in ædibus Armachani Archiepiscopi postremum haberent conventum, ibidemque omnes, quas ad dirimendam controversiam de auxiliis divinis tamdiu agitatum, damnandas censerent propositiones, diligenti studio seligerent, quæ etiam in Bulla exprimere, quæve attingere oporteat, accurate obser-

observarent, atque ad veram & aptam formam reducerent, ita tamen, ut in explicandis contrariis veritati erroribus perspicuitate studeretur, & omnis tergiversandi occasio, sublatis æquivocationibus, & verborum ambiguitate, penitus subtraheretur.

Nihil tamen de oppositis propositionibus, quas in Catholicas veritates statuere necesse foret, mandabat Pontifex, ad cuius nutum Consultores novem celebrabant congressus, in quibus Petrus Lombardus Armachanus Archipræsul Canones a se jam antea elaboratos unacum potissimis superiorum annorum censuris eo fine exhibuit, ut hæc in Pontificio diplomate inscriberentur. His Canonibus omnes novem Consultores unanimi consensu suffragabantur, solus Bovius Carmelita Mense Julio anni sequentis summo Pontifici seorsim Bullæ edendæ normam scripto tradidit, & utramque sententiam potius componendam, quam Jesuitarum doctrinam esse damnandam censuit, eo quod verendum esset, *ne si in Anglia, ejusmodique aliis Regnis audierint simpliciores illi Catholici, damnatos esse Patres Societatis Jesu in ea ipsa doctrina, quam adversus præcipuum errorem de arbitrii libertate hætenus docuerunt, & sustinuerunt, facile contingeret, ut quamplurimi animo consternati,*
dum

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

*Hist. Congr.
 Append.
 num. 3.*

Sæc. XVII. dum hæsitant quid, aut cui credant, non
A. C. 1606. magno negotio ab hæreticis seducantur.

§. XIV.

*Dissensio circa conficiendi diplomatis
modum.*

*Abregé de
l'hist. Eccles.
tom. 10. §. 8.
pag. 118.*

Absolutis autem Consultorum congressibus summus Pontifex unam quidem omnium de damnandis Molinæ propositionibus sententiam esse cognovit, quosdam tamen errores non satis distincte dispositos, nec satis nitide ac succincte, prout diplomatis angustia deposcerent, expositos censuit, quocirca illos methodo magis distincta disponi iussit, hoc negotio die vigesima tertia Novembris solis Secretariis ac duobus Archiepiscopis demandato, ea tamen lege, ut suas postea lucubrationes ceterorum iudicio committerent: Hoc præstito Archiepiscopus Armachanus Pontificii diplomatis exemplar delineabat, cui tamen nec Secretarii nec Joannes de Rada Tranensis Archiepiscopus ex integro subscribere voluerunt, eoquod *amplectendæ doctrinæ* capita præter Pontificis voluntatem die quinta Octobris denuntiata digessisset, ac ex damnandis propositionibus aliquas minus ordinate minusque nitide exposuisset, alias vero, quæ non tam ipsius Moli-

Molinæ, quam aliorum Doctorum erant, addidisset: Secretariorum consilium ceteris probabatur Consultoribus, quibus etiam suffragabatur Pontifex, facta Armachano optione, an opus suum vel ipsemet perpolire, vel id Gregorio Coronello relinquere velit. Hic suam ipsemet lucubrationem secundis curis castigabat, seorsim vero eandem pariter a Coronello emendari voluit. Utrumque hoc scriptum quarta demum vice anno sequenti ad limam vocatum est, tandem vero Pontifex Coronelli lucubrationem Armachanæ prætulit. Sub idem tempus Romæ nuntiatum erat, quod Barcinonenses Jesuitæ die quarta Januarii hoc anno, approbante ac subscribente P. Raphaelo Guerano e Societate Jesu, publicas Theses ediderint, in quarum septima hæc legebatur conclusio: *De fide debebamus credere Clementem VIII. fuisse rite electum, ac verum Papam, certitudine vero morali Paulum V. esse verum Pontificem.* Hanc tamen injuriam sibi illatam adhuc dissimulabat Pontifex.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XV.

*Origo Contentionis inter summum
Pontificem & Rempublicam
Venetam.*

Dum

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

*Hist. part.
delle cose-
passat. tra
Paulo V. e
la Rep. Ve-
net. Act. &
Script. con-
trov. inter
Paulum V.
& Venet.
Thuan.
lib. 137.*

*Sleid. Cont.
l. II. & 12.
Merc. Belg.
l. I. tom. 6.*

Dum interea Romæ de dirimenda gra-
vi hac controversia agebatur, nova
erupit contentio inter Paulum V. Pon-
tificem Maximum, & Venetorum Repu-
blicam. Hujus dissidii causa & ori-
go hæc erat: Anno Domini millesimo
sexcentesimo tertio die decima Januarii
Senatus Venetus decretum edidit, vi-
cujus poenis gravissimis vetitum, ne
Ecclesiastica Xenodochia, aut Mona-
steria extruerentur, nec novi Religio-
forum cætus vel Societates absque Se-
natus venia induci possent. Die autem
vigesima sexta Martii anno Christi mil-
lesimo sexcentesimo quinto idem Sena-
tus aliud decretum jam anno millesi-
mo quingentesimo trigesimo sexto con-
ditum ad universum Reipublicæ sta-
tum extendit, inhibendo, ne ullus te-
stamento, venditione vel alio quovis
pacto bona immobilia perpetuo Eccle-
siasticis relinquere, vendere, & alie-
nare inconsulto Senatu auderet, sed
transacto biennio, bonis divenditis,
pretia iisdem pro Legatis assignarentur:
alienationes vero secus factæ forent nul-
læ, fundusque fisco addictus. Præ-
terea Senatus quemdam Religiosum ca-
pite plecti, alium vero exilio multari
præceperat, unde fori Ecclesiastici ju-
risdictionem violasse arguebatur. Sub
idem ferme tempus Scipio e Saraceno-
rum

rum familia Matronæ cujusdam sibi cognatæ pudicitiam attentare præsumperat, Brandolinus vero Valdemarinus multos interfecisse arguebatur: ambos igitur Senatores Veneti carceri manciparunt, ac sæpius incassum tamen admoniti captos detinuerunt, nulla habita Ecclesiasticæ dignitatis ratione.

§. XVI.

Pauli V. Pontificis querelæ contra hæc attentata.

Hæc omnia ferme jam gesta erant superstitite adhuc Clemente VIII. Pontifice Maximo, qui tamen postquam ea de re incassum querebatur, mira sapientia & moderatione totum dissimulabat, Sanctum Gregorium Magnum imitatus, qui Mauriti Imperatoris edictum, quo Ecclesiastici rationibus obnoxios Clero adscribere prohibebantur, commendabat, & adversus alteram edicti partem qua Monachis milites nondum expleto militiæ tempore fuscipere inhibitum, non nisi querelas, suasque rationes, non fulmen opposuit, imo & juxta Imperatoris mandatum *jussioni subjectus*, idem edictum *Daniel hist. per diversas terrarum partes transmitti fecit, de France tom. 10.* quia tamen hanc legem ipsam Omnipotenti Deo minime concordare arbitratur, per scriptam paginam suas rationes serenissimis Domi-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. *Dominis suis Mauritio, ejusque Filio Theodoro*
A. C. 1606. *dofio nuntiabat, eo fine, ut utrobique, quae*
 debuit, *exsolveret, & Imperatori obedientiam præberet, & pro Deo, quod senserat,*

S. Gregor.
Magn. l. 2.
epist. 62.

minime taceret. Ceterum Paulus V. ejus Successor imminutam Ecclesiæ libertatem, violatos Canones, messique alienæ falcem a Senatu admotam existimabat, unde suam auctoritatem, quam in tuendo Ecclesiasticæ libertatis jure in Italia magis quam alibi extenso sub primis Pontificatus sui auspiciis Genuæ, Luccæ & Neapoli monstraverat, contra Venetos exerere statuit, ac primo quidem de ejusmodi legibus cum Oratore Veneto graviter exoptulans, demum instituta publice querela, Venetos in jus vocabat, pronuntians, velle se, ut abrogatis hisce legibus sine mora obedirent, atque Orator Venetus ea de re quantocius ad Senatum perscriberet. Paruit hic Papæ mandatis, cui tamen a Senatu injunctum, ut Pontifici significaret, nihil ea lege adversus libertatem Ecclesiasticam fuisse decretum, eo quod lex ad laicos directa de eorum bonis mere profanis disposuisset, idem quoque a Valentiniano, Valente, & Gratiano Imperatoribus, necnon a Carolo Magno in Saxonia, a B. Ludovico in Galliis, Eduardo III. in Anglia, Carolo V. in Belgio fuisse sancitum, ac in pluri-

pluribus aliis locis sæpius executioni demandatum. His parum commotus Pontifex subjecit, quod hortatorias literas, quales simili in causa contra Genuenses fuerant jam olim expeditæ, ad Senatum mittere decrevisset: postea querela de captivis Ecclesiasticis mota subjunxit, quod si Senatus ea in re cuidam niteretur Privilegio, eidem onus probandi incumberet, cum igitur Orator, in causis gravioribus contra Ecclesiasticos jurisdictionem exercendi gratiam a Clemente VII. & Paulo III. Senatui concessam allegaret, mox Pontifex eandem primum restrictam ac demum per *Bullam Cænæ* revocatam declarabat.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XVII.

Veneti Oratoris rationes coram Papa propositæ.

Postremo cum de lege Sacras ædes concernente ageretur, Orator hæc proposuit: „Exemptio Ecclesiasticorum „in criminibus civilibus, non est de jure „Divino, sed primum ab anno Christi „quadringentesimo benignitate Principum hæc gratia Sacro Ordini facta usque ad annum millesimum ducentessimum vigesimum invaluit, cujus rei „testimonia in Theodosii & Justiniani
Hist. Eccles. Tom. LIV. D „Co-

Thuan. l. c.

Sæc. XVII. „Codice occurrunt: propterea tamen
A. C. 1606. „Ecclesiastici a suprema, quam in eos
 „habet Princeps, jurisdictione exempti
 „non sunt, sed duntaxat a jurisdictione
 „Principalis Magistratus. Intermedio
 „autem tempore ab anno millesimo cen-
 „tesimo sexagesimo usque ad annum mil-
 „lesimum ducentimum vigesimum de-
 „creta de Sacri Ordinis exemptione a
 „Pontificibus sancita fuere: notum au-
 „tem est, quod Respublica Veneta ab
 „anno quadringentesimo vigesimo ju-
 „risdictionem in Ecclesiasticos exercue-
 „rit, cui per Cæsarum gratias atque
 „privilegia Sacro Ordini concessa de-
 „rogari nullo modo potuit; hæc enim
 „Respublica nunquam Cæsarum impe-
 „rio subiecta fuit, quæ tamen in causis
 „levioribus eandem exemptionem Or-
 „dini Ecclesiastico concessit. Porro usus
 „ille ac consuetudo usque ad annum Sa-
 „lutis nostræ millesimum quadringen-
 „tesimum septuagesimum quartum ma-
 „gno Pontificum consensu tenuit: ab
 „illo etiam tempore Literæ Apostolicæ
 „Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri
 „VI. & Pauli III. exstant, quibus hæc
 „consuetudo approbatur, quæ ad loca,
 „omnesque ditionis Venetæ terras por-
 „rigitur, & ad omnia delicta gravia ex-
 „tenditur, omnesque e Sacro Ordine
 „comprehendit: Præterea consuetudo
 „hæc

„hæc est libertas naturalis omni Eccle- Sæc. XVII.
 „siastica exemptione antiquior, cui proin A. C. 1606.
 „nulla Pontificum superveniente Con-
 „stitutione, utpote non acceptata, de-
 „rogari potuit: nullo etiam in Regno,
 „nulla in Pontificis ditioe, exemptio
 „decretis suis sancita locum habet in
 „crimine læsæ Majestatis; semper enim
 „ordinarius de eo Magistratus cognovit:
 „In Francia autem jus Ecclesiasticos ca-
 „piendi cuivis Judici competit, adjecta
 „lege, ut judex Regius simul cum Ec-
 „clesiastico judicium exerceat, & post
 „pronuntiatam ab utroque sententiam
 „reus dimitti non possit, nisi iis actis
 „prius Cognitori Regio communicatis,
 „cujus & consensus debet accedere, ne
 „si ab ea fors appellaretur, dilabente
 „reo, jurisdictioni Regiæ illudatur. Mul-
 „tis quoque Italiæ locis Clerici etiam
 „non moniti a Judice puniuntur, si
 „sacra veste non induti deprehenduntur.
 „Idem in Hispania usurpatur, quando
 „de vi publica & armata agitur. Enim-
 „vero sæpius Pontifices in Veneto statu
 „in delictis item atrocibus exemptionem
 „introducere tentabant, semper tamen
 „Respublica jurisdictionem suam con-
 „servabat; si enim Principi jus animad-
 „vertendi in suos delinquentes, cum ex-
 „pedire bono publico visum, adimatur,
 „una & Regium nomen tollitur: proin
 D 2 „Sena-

Sæc. XVII. „Senatus ea in re duntaxat naturali li-
A. C. 1606. „bertate usa est, semper antea legitime
 „usurpata & a Pontificibus tacito & ex-
 „presso consensu comprobata. „ His
 rationibus flecti videbatur Pontifex, pa-
 riterque Joannes Delphinus & Augusti-
 nus Valerius Cardinales unacum Au-
 gustino Nanio & Alincurtio Legato rem
 ad concordiam reducere nitebantur, ob-
 stabant tamen plerique Cardinales, at-
 que inter eos præcipue Paulus Sfondra-
 tus & Pompeius Arrigonius, qui scri-
 ptis suis pariter faces subdebant. His e-
 tiam egregie adstipulabatur Ferdinan-
 dus Pacerus Afcalonæ Dux Philippi III.
 Hispanus apud Pontificem Orator, qui
 oblati etiam armorum suppetiis Papam
 contra Venetos incitabat: Valerio ta-
 men & Delphino interpellantibus nego-
 tium tamdiu suspendebatur, donec Leo-
 nardus Donatus Republicæ Orator, Vir
 integritate, rerumque peritia conspicuus
 Pontificem placasset: interea vero Pau-
 lus V. literas, ut vocant, monitorias
 ad Martinum Grimanum Republicæ Du-
 cem trans mittebat, eo autem jam tum
 defuncto, atque in ejus locum subro-
 gato Leonardo Donato Petrus Duo-
 dus Orator Romam decretus est.

§. XVIII.

§. XVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.*Senatus Veneti responsum ad Pontificis literas.*

Præfatis literis Pontifex de promulgatione a Senatu legibus acerbè querebatur, quas intentato etiam anathemate mox revocari præcepit, additis minis, acerbiora adhibitum iri remedia, ni sine cunctatione obtemperaturi captos Sacerdotes Nuntio Pontificio traderent. Ad hæc reposuit Senatus, quod penes Principem sit curare, quænam ædificia in ejus ditioe construantur, & quinam eas inhabitaturi essent: altera autem lex nil nisi de bonis temporalibus statuerit; eo fine, ne per eorum alienationem imperii robur debilitaretur, proin nec Pontificiam auctoritatem offendi, nec se in censuras incidisse crederent, vel maxime eo nomine, quod in capiendis hisce Sacerdotibus potestate sibi a Deo data, & nunquam extra legitimos jurisdictionis a Pontificibus approbatæ limites exercitæ usi fuissent. *Thuan. l. c.*

§. XIX.

Pontificis consilium de Republica interdicto subjicienda.

D 3

Ac-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Accepto hoc responso excanduit Pontifex, qui jurisdictionem in Ecclesiasticos a Laicis consuetudine obtineri posse pernegabat, privilegia vero, si quæ existant, Romam, ut examinarentur, mitti debuisse, iisque discussis absdubio constituisse aiebat, quod Respublica jurisdictionis sibi concessæ fines excessisset: Interea Duodus Romam venit, ad Pontificis alloquium introductus, cum autem & ipse allatis antea rationibus insisteret, re infecta dimissus est. Pontifex vero aliquoties convocato Cardinalium Collegio mentem suam aperuit, ac re ad deliberationem sæpius revocata omnium sententias rogabat, a suo proposito haud dissidentes. Conficitur igitur anathematis diploma, quod die decima septima Aprilis Romæ in consuetis locis publice affixum, promulgatumque est: hoc comperto mox Duodus Orator unacum Augustino Natio Venetias rediit.

§. XX.

Anathematis atque interdicti sententia a Paulo V. in Venetam Republicam fulminata.

*Abregé de
l'hist. Eccles.
tom. 10.*

Pontifex præfatum diploma ad omnes Ecclesiastici Ordinis status directum Venetias transmissit, in quo enarrata dissi-

diffidii occasione ex præfatis legibus Sac. XVII. A. C. 1606.
 sumpta subjunxit Pontifex: *cum hæc*
omnia in aliquibus Ecclesiarum juribus, &
personarum Ecclesiasticarum privilegiis præ-
judicium inferant, ipsamque libertatem ac
immunitatem Ecclesiasticam tollant, ac ea
omnia in ipsorum Ducis & Senatus anima-
rum perniciem, & scandalum plurimorum
tendant, & cum ii, qui supradicta ac si-
milia edere, & promulgare, illisque uti
ausi sunt, in censuras Ecclesiasticas a Sacris
Canonibus generalium Conciliorum decretas,
& Romanorum Pontificum constitutionibus
inflictas, necnon etiam privationis feudo-
rum, & bonorum, si quæ ab Ecclesiis ob-
tinent, pœnam eo ipso incurrerint, a qui-
bis censuris & pœnis non nisi a nobis aut
Romano Pontifice pro tempore existente ab-
solvi ac liberari possint, ac propterea inha-
biles, & incapaces sint, qui absolutionis &
liberationis beneficium consequantur, donec
editas leges novis edictis atque decretis sustu-
lerint, omniaque inde secuta re ipsa in pri-
stinum statum redintegraverint, cumque e-
tiam Dux & Senatus prædicti, post plu-
res paternas nostras monitiones a multis
mensibus citra eis factas, adhuc decreta &
edicta præfata non revocaverint, ac eosdem
Canonicum Saracenum, & Abbatem Bran-
dolinum carceratos detineant, & illos ve-
nerabili Fratri Horatio Episcopo Hiera-
censi nostro & Apostolicæ Sedis apud eos

Merc. Gallo-
belg. tom. 6.
lib. 1.

Sæc. XVII. Nuntio, ut debebant, non consignaverint,
A. C. 1606. Nos, qui nullo pacto ferre debemus, ut Ec-
 clestastica libertas & immunitas, nostraque
 & Sedis Apostolicæ auctoritas violetur &
 contemnatur, inhærentes plurimum genera-
 lium Conciliorum decretis, ac vestigiis Ro-
 manorum Pontificum, habita cum vene-
 rabilibus Fratribus nostris S. R. E. Car-
 dinalibus matura consultatione demum au-
 ctoritate Omnipotentis Dei & beatorum Pe-
 tri & Pauli Apostolorum ejus ac Nostra,
 nisi Dux ac Senatus prædicti intra viginti
 quatuor dies, a die publicationis præsen-
 tium in hac alma urbe faciendæ computan-
 dos, quorum octo primos pro primo, octo
 pro secundo, & reliquos octo pro tertio &
 ultimo, ac peremptorio termino, & pro
 monitione Canonica illis assignamus, præ-
 dicta decreta omnia & in illis contenta &
 inde secuta quæcunque omni prorsus exce-
 ptione & excusatione cessante publice revo-
 carint, & ulterius nisi a similibus decretis
 contra libertatem, immunitatem, & juris-
 dictionem Ecclesiasticam, ac nostram & Se-
 dis Apostolicæ auctoritatem, ut præfertur,
 facientibus edendis & respectively faciendis in
 posterum cavere & penitus abstinere promi-
 serint, ac nos de revocatione, deletione, ces-
 satione, nuntiatione, restitutione, ac pro-
 missione prædictis certiores reddiderint; &
 nisi etiam prædictos, Scipionem Canonicum,
 & Brandolinum Abbatem, prædicto Ho-
 rati

ratio Episcopo & Nuntio cum effectu con-
 signaverint, seu consignari fecerint, ipsos
 tunc & pro tempore existentem Ducem &
 Senatum Reipublicæ Venetæ statuarios, &
 eorum fautores, Consultores, & adhaeren-
 tes, & eorum quemlibet, etiamsi non sint
 specialiter nominati, quorum tamen singu-
 lorum nomina, & cognomina præsentibus
 pro expressis haberi volumus, ex nunc prout
 ex tunc & econtra excommunicamus, &
 excommunicatos nuntiamus, & declaramus
 Et si dicti Dux & Senatus per
 tres dies post lapsum dictorum viginti qua-
 tuor dierum excommunicationis sententiam
 animo (quod absit) sustinuerint indurato,
 sententiam ipsam approbantes, ex nunc pa-
 riter prout ex tunc civitatem Venetiarum,
 & alias civitates, terras, oppida, castra
 & loca quæcunque, ac universum temporale
 Dominium dictæ Reipublicæ Ecclesiastico in-
 terdicto supponimus, illamque & illud sup-
 posita esse nuntiamus, & declaramus, . . .
 ac ulterius eosdem Ducem, & Senatum,
 & quemlibet eorum, non solum Reipublicæ
 sed etiam privato nomine, si aliqua bona
 Ecclesiastica in feudum seu alias quovis mo-
 do a Romana aut vestris seu aliis Ecclesiis
 concessa obtineant, illis bonis & feudis, nec
 non etiam omnibus & quibuscunque privi-
 legiis & indultis in genere vel specie in qui-
 busdam videlicet casibus & delictis contra
 Clericos procedendi, illorumque causas certa

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

Sæc. XVII. forma præscripta cognoscendi, a Romanis
 A. C. 1606. Pontificibus Prædecessoribus nostris illis for-
 san quomodolibet concessis, ex nunc simili-
 ter prout ex tunc & econtra, privamus,
 ac privatos fore, & esse nuntiamus & de-
 cernimus.

§. XXI.

*Ducis ac Reipublicæ Venetæ respon-
 sum ad diploma.*

Ut autem Veneti ictum hujus fulminis
 promulgati declinarent, quantocius
 Reipublicæ Dux Senatu convocato de-
 crevit, ab hac censura esse provocan-
 dum, neve ditionis Venetæ subditi a
 debita fide & obsequio avocarentur,
 nulla mora sequens edictum ad omnes
 totius Reipublicæ Præfules ac Clericos
 transmittendum esse; *Deum hominesque
 obtestamur nihil eorum, quæ per nos fieri
 poterant, prætermisum fuisse, quo validis-
 simæ & indissolubiles rationes, & jurano-
 stra Sanctitati suæ innotescerent, eique pro-
 barentur: primum quidem per Oratorem no-
 strum apud Sanctitatem suam Legatione fun-
 gentem, deinde vero per nostras literas, qui-
 bus respondimus prioribus brevibus nobis
 ab ea directis, demum per extraordinarium
 Oratorem ad eandem propterea missum. Ve-
 rum cum Sanctitatis suæ aures clausas
 invenerimus, cognoverimusque præfatum*
Breve

Breve contra omne jus & æquum emanasse, Sæc. XVII.
 & contra ea, quæ divina Scriptura, San- A. C. 1606.
 ctorum Patrum doctrina, Sacrique Cano-
 nes præcipiunt, in præjudicium auctori-
 tatis secularis a Deo nobis traditæ, & liber-
 tatis Reipublicæ nostræ, cum perturbatio-
 ne tranquillæ possessionis, bonorum, honoris
 & vitæ, qua fideles subditi nostri divina gra-
 tia, sub nostro regimine fruuntur, non sine
 omnium scandalo promulgatum fuisse: præ-
 dictum Breve non modo ut injustum, inde-
 bitumque, verum etiam uti nullum, nullius-
 que roboris aut momenti Nobis habendum
 esse non dubitamus: atque ita invalidum,
 irritum & fulminatum illegitime & de facto,
 nulloque juris ordine servato, ut ea reme-
 dia adhibenda duxerimus, quibus Majores
 nostri, & alii supremi Principes usi sunt
 cum Pontificibus, qui potestatis, a Deo sibi
 in ædificationem traditæ, limites ac modos
 egressi fuerunt, præsertim, cum explora-
 tum nobis sit, vos ceterosque fideles nostros
 subditos, universumque orbem idem de eo
 existimaturos. Non dubitantes, quin sicut
 ad hoc usque tempus curæ animarum fide-
 lium nostrorum sedulo invigilastis, divinoque
 cultui operam dedistis, qui vestra diligentia
 in hac nostra ditione floret, ut ceteris non
 sit invidendum, ita posthac in eodem Pa-
 storali officio perseveraturi sitis: cum nobis
 decretum constitutumque sit, in sancta Ca-
 tholica, & Apostolica, atque in observantia
 erga

Sec. XVII. *erga Sacram Romanam Ecclesiam persistere, A. C. 1606. quam Majores nostri a prima hujus civitatis origine hucusque divina comitante gratia, & sine ulla intermissione coluerunt. Mandantes, has nostras, ut omnibus innotescant, in magis conspicuis hujus nostræ Urbis ac aliarum fidelium civitatum nostro Principatui subjectarum affigi.*

Datum in nostro Ducali Palatio die sexta Maji anno MDCVI.

Aliud postea edictum Senatus ad omnes totius ditionis subditos dirigebat, in quo Leges de ædificiis Sacris & bonis immobilibus innovans declarabat, quod hæ Constitutiones ad laicos tantum pertineant, illæque solummodo bona concernant, quæ politicum Magistratum agnoscunt: quod vero ad bona Ecclesiastica attinet, de illis hæ quidem constitutiones non agant, siquidem Personis Ecclesiasticis non solum divitias & bona sua mobilia augere, sed & immobilia bona, cum consensu & permissu magistratus acquirere concessum.

Postea circa civiles Ecclesiasticorum poenas hæc addidit Senatus: cum veterem illum justitice usum contra personas gravioribus delictis obnoxias exercere statueremus, modernus Papa Paulus V. ab hostibus Republicæ & assentatoribus suis eo adductus est, ut nobis resisteret, & vetustissimum cogenitæ nobis libertatis usum, qui ante mille & ducentos invaluit annos, nobis eripere, idque

idque modis omnibus efficere conaretur, ne *Sæc. XVII.*
 vel leges & statuta in dilectissimorum nostro- *A. C. 1606.*
 rum liberorum & subditorum gratiam con-
 dere, vel eos, qui detrimento vos afficerent,
 debitis pœnis coercere nobis amplius liceret,
 quasi vero quod privato homini in domo sua
 permissum est, ut rem suam familiarem pro li-
 bitu constituat, & ab omni incuria tœatur,
 id Magistratui ad custodiam & conserva-
 tionem vestram divinitus constituto, non mul-
 to magis liceret, & permissum esset, cum
 præsertim Reipublicæ huic talis Præpositus
 Princeps sit, qui non solum nemini unquam
 subiectus, sed & opibus sanguineque sub-
 ditorum suorum, quam optime de Romana
 Ecclesiâ promeritus semper fuit. Quamvis au-
 tem cum omni reverentia & submissione,
 Pontificem per ablegatos Romam Oratores
 nostros de jure nostro edoceri & admoneri
 curaverimus, multasque epistolas cum an-
 nexa protestatione ad eum dederimus, ipse
 tamen solenni Nativitatis Christi festo, cum
 Sacra jam communio percipienda esset, &
 Dux noster Grimanus extremum emitteret
 Spiritum, coram Principibus & Cardina-
 lium consistorio, illegitime admodum de no-
 bis conquestus est, & tametsi honorem &
 ministeria nostra erga eum continuaremus,
 jamque in signum humilitatis nostræ etiam
 extraordinaria missa legatione, officia no-
 stra ei exhiberemus, ipse tamen de certo &
 deliberato rigore, nihil quicquam non modo
 remisit,

Sæc. XVII. A. C. 1606. *remisit, sed magis magisque ad iram ac-
census, eo usque progressus est, ut excom-
municationis in nos dirigere literas nihil du-
bitarit, quas ipsi tamen, utpote coram di-
vina Majestate justificati, nobis nihil om-
nino nocituras speramus, postquam autem
paterno plane affectu, & animo, vos de
totius hujus negotii serie jam certiores feci-
mus, fore omnino speramus, ut intelli-
getis, quam præter omne meritum nostrum,
ob susceptam solum bonorum vestrorum de-
fensionem, hæc nobis evenerint, iniquam
hanc actionem vere detestaturi, & averfuri,
in obedientia nobis debita diligenter perse-
veraturi, vestrumque jus modis omnibus de-
fensuri, atque conservaturi sitis.*

Præterea die decima nona Aprilis
Parochi omnes, ac Religiosorum Or-
dinum Præsides a Senatu convocaban-
tur, quibus interminata capitis poena
prohibitum, ne quicquam adversus Rem-
publicam promulgarent, & si quid ejus-
modi forte templorum vel ædium sua-
rum portis vel parietibus affigeretur,
statim avellerent.

§. XXII.

Interdicti Pontificii fatum ac successus.

*Thuan. l. 137.
Daniel hist.
de France
tom. 10.*

Comperto Pontificis diplomate Clerici,
quibus executio illius præprimis in-
cumbebat, in diversas rapiebantur senten-
tias:

tias: Horum quosdam ad censuræ contemptum impellebat privati questus studium ac proprii dispendii formido, alii utpote Clerici hinc a Religionis ac debitæ erga Pontificem obedientiæ legibus illinc tanquam subditi ab obsequiosis erga Principem studiis arctati fluctuabant, denique non pauci in dubio de æquitate præcepti hinc Pontificii illinc Politici, potius mandato Ecclesiastico parendum rati ultroneo sese mulctabant exilio: Hos inter præcipuus erat Hieronymus Vendraminus recens electus Patriarcha Venetus Patavium secessit, quamvis ipsemet ab Ecclesiasticis præcipue Jesuitis bona immobilia variis modis ad se pertrahi anno priori apud Senatum questus, hac de re acerbam ad Cardinalium Collegium epistolam perscriptisset, afferens, quod *triginta decies centena millia* & amplius Ecclesiasticorum facultates in Veneta ditione valere aestimentur, ac proin necessario his malis medendum, & legibus a Senatu cavendum fuerit, ne Ecclesiastici tandem omnia sæcularia occupent, ac possideant. Præterea Hispaniæ Regis, Cæsaris, & Sabaudix Ducis Oratores servato interdicto haud amplius cum Duce Veneto Ecclesiam Sancti Marci frequentabant. Pariter Barbarus quoque Patriarcha Aquileiensis jamjam hoc interdictum in sua Diæcesi promulgare parabat, tempestive

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Luci. hist.
Jes. l. 4. c. 8.
Hospin. hist.
Jes. 180.

P. Juven.
hist. Soc.
l. 12. p. 5.

Sæc. XVII. pestive tamen comminatione Ducis pro-
 A. C. 1606. hibitus, qui ad Ecclesiam Metropolitanam convocato populo exposuit, non de Religione, sed duntaxat de libertate & Reipublicæ comodo agi. Paulo post accersitis Ecclesiarum Præsulibus ac Monasteriorum Præpositis Decemviri interminata etiam capitis poena vetabant, ne quid novi in Religionis cultu molirentur, sed suo quisque muneri, ut antea, nulla habita interdicti ratione religiosius incumberet. Nihilominus PP. Cappuccini & Fratres Eremitæ Sancti Augustini Ecclesiastica sua officia clausis Templi foribus peragebant, ac tandem urbe excedebant: Patres Societatis ab uno ex Decemviris, quid animi ipsis esset interrogati, respondebant: *præstabimus quicquid effici poterit: cum autem hic acerbius reponeret: postulamus, ut id efficiatur, quod a vobis petitur, responderunt Jesuitæ: nihil omitetur, quantum in nobis est, ut mos Reipublicæ geratur.* Insuper pollicebantur, quod ipsi, ut semper assuevissent, *Divinum officium* prosequi vellent: cum autem per suos in urbe sparsissent, quod nihilominus a publicæ Missæ Sacrificio cessaturi essent, hac de re die nona Maji admoniti, Magistratui respondebant, se pollicitationi factæ non adversari, eo-
 quod Missa sub nomine Divini Officii non
 com-

comprehendatur: Displicuit hoc respon-
sum Senatui, qui Ecclesiæ rebus per
Patriarchæ Vicarium consignatis, illos
quantocius ex urbe discedere iussit. Hi
igitur conscensis navigiis secunda no-
ctis hora Venetias excefferunt, combu-
stis prius scriptis quamplurimis, reli-
ctisque pluribus instrumentis ad fun-
denda metalla accommodis, quæ ta-
men nequaquam, ut aurum funderent,
sed ut pileos suos seu bireta concinna-
rent, comparata fuisse, testabatur Pa-
ter Antonius Possevinus, qui etiam ar-
guebatur, quod Nuntium Apostolicum
ad deteriora consilia flectere conatus sit.
Ceteri Religiosi jam antiquitus insti-
tuti ubique Sacrum solemne templis a-
pertis peragebant, cætusque Ecclesia-
sticos pristino more celebrabant, Cle-
ricorum quoque potissimi Senatus e-
dicto obtemperabant, veriti, ne bonis
suis & patrio solo privarentur. Tantum
impedit Religionis bonum privati di-
spendii formido.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XXIII.

*Varia scripta ultro citroque hac su-
per re divulgata.*

Fervente inter Theologos dissidio unus-
quisque, prout de Pontificiæ sen-
tentia æquitate vel injustitia judicabat,
Hist. Eccles. Tom. LIV. E cala-

*Opere del
P. Paolo
Sarpi tom. I.
pag. 79.*

Sæc. XVII. calamos suos stringere cæperat, pau-
 A. C. 1606. cosque inter Menses plusquam septua-
 ginta ejusmodi Lucubrationes prodire,

P. Gretser. præprimis vero pro tuenda Venetorum
confider. ad caussa Frater Paulus Sarpus ex Servi-
Theol. Venet. tarum Ordine Reipublicæ Theologus
 tractatum de interdicto Pauli V. evul-
 gabat, in quo se demonstrasse arbitra-
 tur, quod hoc interdictum non sit le-
 gitime promulgatum, atque ob plures
 rationes Ecclesiastici illud observare non
 teneantur, nec absque noxa observare
 valeant. Hanc in rem sequentes didu-
 cebat assertiones. I. Superioris cujus-
 cunque præceptum non promulgatum
 nec intimatum non obligat. II. Inter-
 dictum nec in urbe nec in ditione fuit
 promulgatum. III. Pontificis præcep-
 tum, ex quo scandala & status Eccle-
 siastici perturbationes exorituræ prævi-
 dentur, ab Ecclesiasticis observari ne-
 quit, etsi id præcipiatur *sub pœna excom-
 municationis latæ sententiæ*. IV. Nasce-
 rentur autem inde scandala, pericula,
 & innumerabilia mala. V. Timor ju-
 stus excusat ab obligatione cujuscunque
 legis humanæ, etiam justæ & legitimæ.
 VI. Juste autem hujus Reipublicæ sub-
 ditis timenda est jactura vitæ, bono-
 rum, carceris &c. VII. Pontificis po-
 testas præcipiendi Christianis est restricta
 ad finem publicæ utilitatis pro Ecclesia,
 & pro

& pro norma habet legem Divinam. **Sæc. XVII.**
 VIII. An potestas Pontificis sit Sacris **A. C. 1606.**
 Canonibus & Conciliis superior vel inferior, est adhuc dubium. IX. Obedientiam, quam Christiani summi Pontificis præcepto debent, non se extendit ad omnia, minus ad ea, quæ sunt contra legem Divinam, imo nequidem ad omnia, quæ legi Divinæ non adversantur, adeo, ut in multis etiam bonis rebus homo sit liber, & ad obediendum non obstrictus. X. Christianus præcepto etiam Pontificis obtemperare non tenetur, nisi prius quantum res præcepta deposcit, examinaverit, an sit conveniens, legitimum, & obligatorium, secus peccat. XI. nec excusatur ex eo, quod Pontifex afferat, suum præceptum esse justum. XII. Qui autam facto hoc examine ex seipsis decernere nequeunt, tenentur Viros doctos, probos & submissionis erga Sacram Sedem studiosos consulere. XIII. Quando Pontifex ad præceptum suum injustum, irritum, auctoritatem sibi a Deo concessam excedens, aut legi Divinæ adversum anathemate & interdicto adstringit, & hoc errorem haud tolerandum vel injustitiam continet, illud nec acceptandum, nec eidem obtemperandum nec curandum est, salva tamen reverentia Sedi Apostolicæ debita. XIV.

Sæc. XVII. Sententia nulla, & iniqua est abusus
A. C. 1606. potestatis, cui sese opponere, Principi
 supremo licitum & necessarium est. XV.
 Non modo Judex peccat ferendo ejus-
 modi sententiam notorie talem, sed &
 Minister illam exequendo. XVI. Prin-
 ceptis, contra quem ejusmodi sententia
 est pronuntiata, potest illius executio-
 nem inhibere, & si exin scandalum vel
 Divini cultus diminutionem oriri cogno-
 sceret, peccaret, si non prohiberet.
 XVII. Interdictum est censura nova in
 Ecclesia, nisi debita cum moderatione
 adhibeatur. Præter hæc assertiones,
 quas fufius dilucidabat, Sarpus quo-
 que edidit considerationes suas in cen-
 suram Pauli V. adversus Rempubicam
 Venetam, in quibus rationes, quas
 Pontifex Venetis legibus opposuit, ex-
 aminans ait, quod hoc nomen *libertas*
Ecclesiastica per duodecim sæcula in Ec-
 clesia fuerit incognitum, nec in jure
 Canonico definitum, quænam res sub
 illa comprehendantur: aliunde autem
 per legem, ne Ecclesiæ absque Princi-
 pis venia ædificentur, non exercentur
 jus in Ecclesias, sed in fundum, in quo
 ædificandæ sint. Pariter legem de bo-
 nis immobilibus vendicat ex eo, quod
 Pius V. quoque simili edicto vetaverit,
 ne Ecclesiastici a Laicis in Pago Bosco
 bona immobilia emerent, idemque Cle-
 mens

mens VIII. prohibuerit circa ædem Lau- Sæc. XVII.
retanam. Denique Sarpus hanc in A. C. 1606.
rem suppresso nomine publici juris fe-
cerat tractatum & decisiones Joannis
Gerfonii *de valore excommunicationum*:
cum autem Bellarminus Cardinalis in
octo hujus tractatus capita calamum
suum strinxisset, mox Sarpus edita apo-
logia præfatum tractatum vindicabat;
pariter Bellarminum confutabat Joan-
nes Marsilius Neapolitanus Franciscanus:
Nec intactæ remanserunt Sarpii
considerationes, quas speciali libro Joan-
nes Antonius Bovius Novariensis Car-
melita impugnabat, mox tamen Ful-
gentium Brixianum Servitam oppugna-
torem habebat: Baronius quoque &
Ascanius Columna Cardinales Ecclesiæ
causam evulgatis scriptis defendendam
suscepere, Baronium tamen idem Mar-
silius confutare nitebatur, non alio suc-
cessu, nisi quod hic Romæ publico pro-
gramate in pœnam excommunicationis
& privationis omnium bonorum inci-
disse, hoc anno declaratus esset ex man-
dato Cardinalium contra hæreticam
pravitatem Inquisitorum: quo comper-
to Marsilius datis literis die nona Se-
ptembris respondit, quod Romam ac-
cedere nec tutum nec ei a Senatu per-
missum esset, de cetero autem coram
Inquisitore Veneto iudicium fidei subire,

Sæc. XVII. paratus foret, simulque negotium jam
 A. C. 1606. dedisset, ut hæc sua excusatio in Tribu-
 nali Veneto facta statim Romam mitte-
 retur; quoniam vero fidei professionem
 non ita pridem publice fecisset, pro qua
 tamen emittenda Romam venire jube-
 retur, ac sese a communione Ecclesiæ
 nunquam separasset, hinc neque a Cha-
 ritate Christi, & Ecclesiæ separari va-
 leat: imo has duas propositiones in loco
 tuto defendendas suscipiat. I. *Si quis
 dixerit, aliquem posse a Christo aut a Ca-
 tholicæ Ecclesiæ communione separari, nisi
 prius ipse se separaverit: est hæreticus.* II.
*Si quis dixerit, aliquem sine sua culpa ex-
 communicatum ob hoc tantum, quia non au-
 ditur Pontifex, vel ejus ministri non au-
 diuntur, eum audiri nec possunt, nec de-
 bent, vere & valide excommunicatum esse:
 est hæreticus, ac proinde ipse est excom-
 municatus.*

Postea in Cardinalium Congrega-
 tione die vigesima Septembris lectio li-
 bellorum Pauli Sarpri prohibita est, ac
 ipse Author die trigesima Mensis Octo-
 bris intra viginti quatuor dierum spa-
 tium Romæ comparere, causamque
 suam defendere jubebatur. Hic vero
 die vigesima quinta Novembris ad In-
 quisitores Cardinales literas dedit, in
 quibus, ne Romam veniret, se excusari
 petiit, eoquod libellis suis jam inter-
 dictis,

dictis, quin ipse vel auditus, vel ejus Sæc. XVII. A. C. 1606.
 propositiones sigillatim censuris per-
 strictæ fuissent, nullo jure decere videatur, ut post pronuntiatam jam contra
 se sententiam in jus vocaretur, præ-
 terea hosce judices, inter quos Bellar-
 minus vindictæ in eum cupidissimus es-
 set, merito sibi suspectos haberet, a-
 liunde vero Sacro Reipublicæ obsequio
 adstrictus, nisi impetrata illius facultate
 ab urbe discedere prohiberetur: eodem
 quoque die F. Fulgentius prolixo scripto
 ad Sacrum Ordinem directo pariter con-
 tra Romanum edictum reclamabat, as-
 ferens, quod excommunicationem non
 timeat, sed duntaxat gratiæ jacturam:
 demum comminationi Fiscali de priva-
 tione bonorum illudit, eoquod ipse ut-
 pote Franciscanus nulla omnino bona
 possideat, quæ fiscus rapere posset.

§. XXIV.

*Patres Societatis in perpetuum e di-
tione Veneta exclusi.*

Interim non sine magno Ecclesiæ Ca-
 tholicæ periculo de hac controversia
 inter Theologos calamis certatum est,
 nonnullis jurisdictionem Ecclesiasticam
 ultra modum extollentibus, aliis in-
 digne nimis illam deprimentibus, tan-
 dem vero, cum res ad bellum spectare
 E 4 vide-

*Daniel hist.
de France
tom. 10.
Thuan.
lib. 137.
Luc. Hist.
Jes. l. 4. c. 8.
Hospin. hist.
Jes. p. 181.
Juven. hist.
Soe. l. 13. p. 5.*

Sæc. XVII. videretur, arma utrinque parabantur, incendio huic oleum affundentibus Ecclesiæ Romanæ hostibus, qui sua auxilia bellum gesturis largiter pollicebantur: Præprimis quidem Senatus Venetus sex armatorum millia ex Rhætia conduxit, dato etiam negotio, ut Franciscus Valdemontius Comes supremus Veneti exercitus Dux ex Italia sex pedum millia & sexcentos Equites adduceret, qui tamen potius officio suo cedere, quam arma in Sedem Apostolicam vertere maluit: Nec Pontifici deerant armorum subsidia; ipse enim Ductore Ranuntio Parmensi Duce validum ubique & præcipue in Umbria exercitum instrui ac circa Ferrariam delectum haberi iussit: Philippus quoque Hispaniarum Rex die nona Julii datis literis summo Pontifici *tanquam Filius vere obediens suam personam omneque Imperii robur ultro deferebat.* Cum autem die decima quarta Junii quidam Jesuitis minus faventes in Senatu Veneto proposuissent, quod hi Patres non modo Papam ad extremas vires contra Venetos tentandas instigarent, sed etiam scriptis, privatis colloquiis, publicisque ad populum sermonibus in Rempublicam Ferrariæ, Bononiæ, Mantuæ & alibi acrius inveherentur, necnon Italiæ Principes ad denegandam milites conscribendi

bendi licentiam incitarent, eorumque non pauci, dum Pontificiam censuram defendere conabantur, progressi longius essent, quam necessitas ac prudentia requisisset, hinc in Senatu deliberatum decretumque est, quod cum Societas Jesuitarum Venetis a primo tempore, quo recepta & benigne habita fuit, erga Rempubli-
 cam sese exhibuerit semper ingratham, inque detrimentum potius ejus, quam emolumentum fuerit propensa, idemque etiamnum non sine intolerabili molestia, & insolenti dicitate continuet; in æternum illa amplius recipi, in quemcunque locum Domini Veneti non possit, nec debeat, nisi hisce quatuor conditionibus adhibitis. I. Ut causa Societatis ad Senatum referenda expendatur in pleno Collegio. II. Ut acta & rei gestæ series, unacum allegatis aliis turpibus, horridisque criminibus, uti ait P. Juvenus & sceleribus, causisq; ejiciendæ Societatis in Senatu recitarentur. III. Ut Senatus esset frequentissimus, in quo scilicet ex iis, quibus ferendi suffragii jus est, non pauciora quam centum octoginta capita censerentur: ac denique. IV. Ut ex Universo cætu, sex in partes diviso, partes quinque Jesuituram reditum expeterent. Die autem decima octava Augusti denuo sancitum, ut sequens promulgaretur mandatum: Ne ullus cujuscunque conditionis & sexus, sive Venetiis, sive aliis in civitatibus

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

P. Juven.
 l. c. pag. 96.
 Contin. Sleith.
 lib. 12.

Sæc. XVII. *tibus Reipublicæ, recipere aufit Jesuitas, aut literas ad eorum Societatem perscribere, aut commercium ullum cum eis habere, sub pœna irremissibili proscriptionis ex omnibus terris, & locis Reipublicæ; & vel sub graviore pœna pro transgressionis & personarum qualitate. Ut teneantur etiam omnes, qui liberos suos sub disciplina illorum habent, eos ocysus, & sine mora revocari, neque in perpetuum illos ad Collegia eorum remittere: sub iisdem pœnis.*

Paulopost omnes Jesuitæ Vicentia, Verona, Patavio, Brixia & Creta migrarunt, Venetis acriter eos incusantibus, quod nulla re magis tunc manifestarint suum ingrati animi vitium ac bene meritorum oblivionem, quam hoc ipso excessu; cum tamen etsi non sibi, nec Reipublicæ honori consulere voluissent, saltem tempori tantisper cedere debuissent.

§. XXV.

Continuatio tumultus Donawerthani a Lutheranis suscitati.

Annal. Boic. Adlgr. p. 3. lib. 2. Cum Venetiis pro tuenda jurisdictione Politica calamis dimicaretur, Lutherani in Germania Catholicos a vitæ suæ Religionis possessione armorum vi deturbare nitebantur, hos inter ceteris clasticum præcinebant Donawerthani

thani cives, qui hoc item anno novos tumultus concitarunt, etsi eisdem die vigesima octava Februarii intimatum fuisset Cæsaris mandatum, quo Ab-
 bati Sanctæ Crucis, aut Monasterio vel Catholicis ullam inferre molestiam prohibiti sunt: Accepto hoc mandato pol-
 licebantur Lutherani, quod suo tem-
 pore causæ suæ rationem reddere vel-
 lent, interim Imperatoris mandato mo-
 rem gesturi. Attamen cum Imperii Or-
 dinibus, qui ab Ecclesia Romana alie-
 ni erant, re collata per suum Agentem
 in Aulico Cæsareo judicio Pragæ litem
 contestati sunt. Priusquam vero Im-
 perator hac super re pronuntiaffet, jam-
 jam Lutherani Pastores Senatum, ple-
 bemque in Catholicos seditiosis suis ser-
 monibus concitabant, in hoc imitati
 exemplum sui Prædecessoris Joannis
 Wieland, qui odio in Catholicos fu-
 rens, ne Lutherani Catholicorum nu-
 ptiis vel exequiis interessent, non mo-
 do in suis quinque sermonibus inhibuit,
 sed etiam eos, qui in hisce functioni-
 bus Catholicos comitaturi essent, Dia-
 bolo dicavit, eosque ab absolutionis
 beneficio, & Cœnæ Dominicæ usu ar-
 cere tam infano furore ausus est, ut
 Senatus pro tuenda tranquillitate publi-
 ca anno Christi millesimo quingentesi-
 mo nonagesimo tertio edito adversus
 hunc

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

Sæc. XVII. hunc declamatorem edicto illum urbe ex-
A. C. 1606. pellere coactus esset. Ceterum hoc anno

Consul ac Senatus Donawertanus haud
 moderatione majori utebatur, sed spreto
 Cæsaris mandato Abbati ad S. Cru-
 cem dictatorio more significari jubebat
 velle se, ut proxima die vigesima
 prima Aprilis nequaquam explicatis
 vexillis supplicationem institueret, fore
 alioqui, ut vim passurus esset. Oppo-
 suit Abbas Religionis pacem, Cæsaris
 imperium, fidem nuper a Senatu da-
 tam, necnon avitum Catholicorum jus
 veteremque consuetudinem, insuper Se-
 natum etiam atque etiam hortabatur,
 ne lite pendente quicquam temere, ad-
 versus tot rationum, jurisque præsidia
 moliretur. Catholici igitur, ne possessio-
 ne longo usu firmata caderent, sup-
 plicationem pro more instruunt, sed
 mox inconditus Lutheranorum exoritur
 clamor, jactantur probra, & ludibria,
 ac undique tumultuaria per urbem fit
 concursatio: dein e civibus præcipui
 hastatorum ac sclopetariorum manu
 stipati illos, qui ex Achsheimensi
 pago, ubi Abbas pro more Sacrum per-
 egerat, cum suis vexillis revertebantur,
 ab urbis ingressu arcent, ceteros
 vero, qui sub Monasterii & Teutonici
 Ordinis vexillis incedebant, usque ad
 forum impune dimittunt, crudelius
 postea

*Relat. Do-
 nawerth.
 Germ. p. 25.*

postea excipiendos; nam ibi Lutherani Sæc. XVII.
A. C. 1606.
frequentes excubabant, hastis, sclopis, fudibusque armati, ad quos quanto-
cius velut ad classicum (nec dubium
quin de composito, jussuque Senatus)
convolant magno numero seditiosi, ar-
reptisque, quos furor obtulit, hastili-
bus, telis, bidentibusque, aliisque ar-
mis Catholicos supplicantium more in-
cedentes invadunt, vulnerant, atque
in Wurmbfii Consulibus & Syndici con-
spectu tria labara discerpunt, Sanctæ-
que Crucis imaginem diffringuunt: cre-
scente postmodum tumultuantis plebis
ferocia mox oritur densa lapidum gran-
dinatio, quæ a fronte, a tergo, omni-
que ex parte inermes Catholicos, ac
sine ullius offensa pietatis exercitio va-
cantes velut canes abegit, atque ad Sa-
cras ædes confugere compulit. Id ve-
ro, cum non modo esset repentinus ci-
vium tumultus, sed ipsius Magistratus
imperium, qui Catholicos eorumque
Religionem odiis innatis atque a Lu-
thero translatis ad usque perniciem
non sine manifesta pacis perturbatio-
ne, mandatique Cæsarei contemptu
contra omnia jura moremque insecta-
batur, hinc Marquardus Augustanus
Præsulrogante Leonardo Hormano tum
Abbate denuo ad Cæsaris tribunal con-
fugere compellebatur, qui etiam die
tertia

Sæc. XVII. A. C. 1606. tertia Septembris decretum impetra-
bat, vi cuius hi Lutherani rursus com-
parere iussi, tanquam manifesti pacis
publicæ perturbatores in pœnam *Con-*
stitutionis præsertim *Banni* incidisse de-
clarantur, innovato mandato, ne ulte-
rius Catholicos turbarent, aut offen-
derent, indicta etiam proscriptionis, &
privilegiorum amissionis pœna. Hæc
die vigesima tertia Decembris *Con-*
sultibus Senatuique Donawerthano rite
fuere denuntiata, his reponentibus,
quod tempestive desuper responsuri
essent.

§. XXVI.

Senatus - Consultum Tolosanum ad-
versus quosdam Sacerdotes.

Abregé de
l'hist. Eccles.
tom. 10.
art. 3. §. 3.
Thuan. l. 136.

Nondum penitus ex quorundam ani-
mis extirpata erant erronea indi-
creti Zeli principia, quæ a *Liga*, ut
vocabant, in Galliis olim progerminata
fuerant: currente enim hoc anno quæ-
dam adhuc reperiebantur Monasteria,
atque Ecclesiæ, in quibus Clerici pre-
ces pro Rege ad Deum fundere præter-
mittebant, eoquod hæc in ipsis *Missali-*
bus Lutetiæ, Burdigalæ, ac Lugduni
impressis insertæ non essent: id Regius
Cognitor compererat, eaque de re in To-
losano Senatu graviter exostulans au-
ctorita-

storitatis publicæ opem implorabat. Sæc. XVII.
 Igitur ad ejus petitionem die septima A. C. 1606.
 Junii sancitum, ut Sacerdotes in so-
 lemni Sacrificio pro Rege orationem
 antea semper usurpatam deinceps adhi-
 berent, usu librorum, in quibus illa o-
 missa esset, interdicto. Insuper aliud
 editum est decretum contra Typogra-
 phos & Bibliopolas, quibus ejusmodi
 libros absque præfata oratione typis vul-
 gare vel vendere inhibitum, indicta ar-
 bitraria corporis mulcta. Præterea
 Rothomagenses funesto illo civilis belli
 tempore ex suis, ut vocant, litanis
 illa verba: *ut Regem nostrum custodire di-*
gneris, necnon ex collecta orationem
 hanc: *Quæsumus, ut famulus tuus Rex*
nostrus &c. expungebant, cumque in alia
 oratione in die Parasceves, semper hæc
 verba: *Respice ad Christianum, benignus,*
imperium, fuissent recitata, ac tum illis
 hæc subrogata: *Respice ad Romanum be-*
nignus imperium: hinc omnes indignæ
 ejusmodi mutationes hoc anno Magi-
 stratus auctoritate fuerunt abolitæ.

§. XXVII.

Postulata Cleri Gallicani in Regis
Senatu discussa.

Hoc item anno Henricus IV. Franciæ *Thuan. hist.*
 Rex in Senatu postulata sibi a Clero *l. 133. l. 136.*
 Galli-

Sæc. XVII. Gallicano in comitiis proposita ac centum sex articulis distincta discussa iussu-
 A. C. 1606. rat, ubi tamen plurima Sacro Ordini
 fuerunt denegata, & pauca admodum in
 eorum favorem stabilita: præprimis ve-
 ro permissum, ut Clerus, bona Eccle-
 siastica olim vili pretio ac per nefas a-
 lienata ab anno quadragesimo quarto ab
 emptoribus annuente Pontifice recipere
 valeat: Ea ex ratione præteriti tem-
 poris rationes non sine acerbis utrinque
 altercationibus discutiebantur, simulque
 æs alienum, quod ex annuis vectigali-
 bus aut quæstorum perfidia, aut negli-
 gentia suppressum adhuc debebatur, &
 quater centies mille aureos excedebat,
 gratiose ita distribuebatur, ut aliqua
 pars in Flexiense Jesuitarum Collegium
 destinata, alia Regi, major vero pars
 arbitrio delegatorum e Sacro Ordine re-
 licta esset, & demum bis mille aurei
 pro cudendis Græcorum Patrum libris
 impenderentur: Præterea ad articulum
 circa Concilii Tridentini promulgatio-
 nem Rex respondit, quod ob easdem
 causas, per quas ejus Prædecessores
 sæpius interpellati eam distulissent, ipse
 quoque absterreretur, quominus hanc
 toties petitam, totiesque elusam pro-
 mulgationem concederet, aliunde ve-
 ro præcipua Concilii capita ad Cleri pe-
 titionem jamjam in Regias Constitu-
 tiones

*Abrege de
 Hist. Eccl.
 l. c.*

tiones inserta fuissent: de ceteris autem Rex per Oratores suos antea cum Clemente VIII. egisset, qui etiam ejus in Religionem affectum, justasque ex-
 exulationes æquo tulisset animo. Cum vero Jurisdictio Ecclesiastica haud parum in Galliis labefactaretur per provocaciones ad Curias profanas, hinc Sacer Ordo in iisdem comitiis Regem exorabat, ut Regii decreti auctoritate hanc corruptelam tolleret: Hic autem instigante Parisiensi Senatu, qui ejusmodi provocaciones *ab abusu*, ut vocant, veluti efficax Cleri jura infringendi medium sæpissime adhibere solebat, Clericorum Deputatis respondit, quod ad tuendam Regiam auctoritatem ac jurisdictionem, Regni leges & jura, necnon ad conservandas Ecclesiæ Gallicanæ libertates & privilegia hæ provocaciones oppido necessariæ forent, proin ipse in re tanti momenti nihil novi decernere valeat. In iisdem quoque comitiis Sylvanectensis Episcopus querelas detulit adversus Jacobi Lechasseri Causidici librum *de veteri & Canonica Ecclesiæ Gallicanæ libertate* eoquod hic Author Presbyteris secundi Ordinis nimiam jurisdictionem ex Divino instituto attribuere videretur: Quapropter Præiules congregati octo assertions ex hoc libro decerptas, tanquam falsas, erroneas,
Hist. Eccles. Tom. LIV. F hære-

Sæc. XVII.

A. C. 1606.

Sæc. XVII. hæreticas, Divino juri, & S. Canonum
A. C. 1606. decretis adversas, impietatemque re-
 dolentes proscribere, a qua tamen sen-
 tentia Jacobus anno sequenti ad Regem
 provocans, a secretiori Consilio senten-
 tiam in suum favorem extorsit.

§. XXVIII.

*Burdegalensis Curia decretum contra
 Surdisium Cardinalem a Gallia-
 rum Rege temperatum.*

*Thuan. l. c.
 Abrege l. c.
 §. 2.*

Jam quartus evolvebatur annus, ex
 quo Surdisii Cardinalis causa rursus
 agitari cæperat; cum enim Burdega-
 lensis Senatus hujus Archipræsulis sen-
 tentiam irritam declararet, atque in fa-
 vorem Philippi Prenneti, qui ut supra
 memoravimus, ab ea appellaverat, die
 decima nona Decembris anni prioris
 pronuntiaffet, Surdisius re comperta
 violatam auctoritatem suam scripto ad
 Curiam transmissio vehementer quere-
 batur, additis etiam contra Senatores
 comminationibus. Inde vulnus non-
 dum cicatrice obductum facile recru-
 dit, duobus e Senatorio Ordine refe-
 rentibus, Surdisium palam esse profes-
 sum, quod hoc scriptum non modo suum
 agnosceret, sed illius etiam veritatem,
 si necessitas deposceret, proprii cruoris
 testimonio firmare, paratus esset. Au-
 geba-

gebatur magis concepta in Præsulem Sæc. XVII.
 invidia, cum Andreas Costurius Ca- A. C. 1606.
 nonicus, atque Ecclesiæ Cathedralis
 Pœnitentiarius testaretur, quod Surdi-
 sius cunctis Sacri Tribunalis Ministris
 descripta Judicum, qui præfatum con-
 diderant decretum, nomina eo fine tra-
 didisset, ut hi eis absolutionis gratiam
 denegarent, ea Archiepiscopo dunta-
 xat, prædictoque Pœnitentario refer-
 vata. Enorme piaculum committi, Re-
 gisque auctoritatem hac agendi ratione
 imminui vociferabantur Senatores ad-
 versus Archiepiscopum, qui econtra ab
 iis falcem in alienam messem fuisse im-
 missam questus est: Prævaluit tamen
 rationi præpotentia Senatorum, qui die
 trigesima Decembris edito decreto Sa-
 cerdotibus injunxere, ut insuperhabito
 Archiepiscopi interdicto cunctos, qui
 in præfata scheda nominati fuissent, ad
 Sacram Exomologesin admitterent, eis-
 que absolutionis beneficium imperti-
 rentur: Nec his contenti, Archiepiscopo
 insuper præcepere, ut abolito, quod
 contra Curiam edidisset, scripto mul-
 tam quindecim librarum millium Regi
 ac Xenodochiis exsolveret, atque inter-
 dicto Curix ingressu, deinceps a verbis
 contumeliosis atque censuris abstineret:
 Attamen Rex accepto hujus facinoris
 nuntio, cum hanc collisionem Sacerdo-
 tium

Sæc. XVII. tium inter & Imperium abhorreret, to-
 A. C. 1606. tius causæ cognitionem ad se revoca-
 bat, ulteriore executione inhibita; dein
 multam Archiepiscopo remittebat, de-
 creto in ceteris intacto. Hujus igitur
 judicii temperie, suppressoque usurpatæ
 severitatis excessu prudentissimus Rex
 suam, sui que Senatus auctoritatem sar-
 tam servabat, ac simul Ecclesiasticæ
 potestatis jura tuebatur.

§. XXIX.

*Funesta Demetrii Moscovicæ Ducis
 suæque uxoris fata.*

Thuan. hist. **A**crior longe magisque horrenda erat
lib. 135. Moscorum averfio, ac conjuratio in
Merc. Gallo Demetrium paucos ante Menses recens
Belg. tom. 6. electum Ducem conflata: Celebraverat
lib. 1. hic die octava Maji nuptias ingenti pom-
 pa: Verum ut felicitas in terris nulla
 sine sæcibus fluit, nec ullum facile gau-
 dium mœrore adjuncto vacuum est, sic
 medius prosperi auspicii cursus objecto
 multiplici luctu, statim succisus est, in
 novi Ducis, ejusque sponsæ interitum
 coeuntibus tam Moscovitis quam Ru-
 thenis. Oderant enim eum gens utra-
 que, aliunde rebellionis ac servituti nata,
 ad omne libertatis vestigium ferox, ac-
 tum demum placida, quando premitur:
 quapropter hæc ipsa nationis hujus ab-
 jectif-

Barclai. icon.
Animor.

jectissima servitudo Demetrio quoque Sæc. XVII.
 gradus & offendiculum fuit ad ruinam, A. C. 1606.
 cujus plures jactabant causas Rutheni,
 præcipue vero, quod Dux exclusis in-
 digenis externos satellites ex Anglia,
 Francia & Scotia conscripisset, ac in-
 super novandorum ibidem Sacrorum,
 atque abolendi Græci schismatis con-
 filia voluisset: Hæc suspicio, quæ in
 Religionibus plurimum valet, hos æque
 ac Moscos eo adegit, ut ad septimæ
 matutinæ sonitum die decima septima
 Maji quindecim armatorum millia præ-
 ter confusam infimæ plebis multitudi-
 nem noctu in ædes Regias impetum fa-
 cerent, ductore Suiskio, qui majus tin-
 tinabulum, quod alias exorti incendii
 signum erat, pulsari imperabat: igitur
 concursitatione ex condito facta quam-
 plurimi prædæ inhiantes confestim ad
 Polonorum hospitia properant, ea vi
 diripiunt, cunctaque cædibus permi-
 scunt. In arce ex prætoriana cohorte
 pauci admodum vim armis repellere
 tentant, ceteris aut metu dilapsis, aut
 in conjuratorum partes pertractis: So-
 lus Petrus Basmannus Cæsarei exerci-
 tus Bellidux in fide perstitit, qui dum
 ad cubantes adhuc in thalamo Ducem
 uxoremque tutaturus accurrerat, ac
 feditiosos irruptionem jamjam facturos
 repellere nitebatur, a domestico quo-
 dam

*Joan. Clu-
 ver. epitome.
 Henric.
 Spond. ad
 hunc ann.,*

Sæc. XVII. dam suo famulo confossus cecidit. De-
A.C. 606. metrius vero Dux strepitu excitatus,
 cum non jam incendium, sed proximum
 vitæ suæ periculum instare cerneret,
 acinacem suam corripere parat, quem
 tamen non invenit, famuli pretio cor-
 rupti perfidia subductum: Anna vero
 ejus uxor Thoro pavidam diffilit, latebras-
 que, sed breves & malefidas, invenit:
 inter hæc diffracto aditus obice rebel-
 les in cubiculum irrumpunt, Demetrius
 furiis incensos haud sine multiplici fu-
 nere reprimere conatur, cum autem
 unus tantæ multitudini resistendo im-
 par esset, ac vivus in tumultuantium
 manus venire vereretur, in aliud ex
 alio conclavi cursitans, insequentes in-
 geniosa fuga eludit: ast nec ibi tutus,
 ut, incerto licet saltu, certissimum ta-
 men declinaret interitum, per fene-
 stram sese in aream saxi instratam de-
 jicit, ubi ex præcipiti casu luxato fæ-
 more, illi quoque crudeliter cerebro con-
 cidens, mox a circumfusa turba capitur,
 ac seminecem trahens spiritum in ma-
 jorem aulam Suiskii jussu abducitur,
 a supervenientibus Barbaris insatiabili
 crudelitate contrucidatus. Exanime
 porro Demetrii corpus nudum a furente
 multitudine per celebriores, lutoque
 profundas plateas, inde in forum raptat-
 tur, ubi ad ludibrii augmentum palam
 ac

ac supinum extenditur, ventrique lar-
 va obscœnæ deformitatis imponitur, &
 fistula utricularis, qua Poloni rustici ad
 musicam utuntur, ori inseritur unacum
 denario, quem pro portorio ad inferos
 transiturus persolveret. Quarto post
 cædem die corpus tumulo temere con-
 gesto injectum, die nona refoditur flam-
 mis absumptum. Uxor vero ejus An-
 na Maria non tantum omni mundo mu-
 liebri, sed & veste, qua tegeretur, &
 lecto, cui incubaret, spoliata, ac non-
 nisi vili indusio velata precarium una-
 cum Minscio Sendomiriensi Palatino
 ejus Patre spiritum ducere coacta est,
 præclare secum agi reputans, si vel
 nuda in patriam, unde paulo ante cum
 tanta pompa totque divitiis egressa est,
 reverti permetteretur, proprio edocta
 dispendio, nullam in felicitatis cursu
 esse constantiam. Sedato tumultu Pro-
 ceres die vigesima Maji Basilium Joan-
 nidem Cnjacum in Ducem elegerunt,
 vel hoc unico proditionis non detectæ
 nec punitæ exemplo.

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

§. XXX.

*Octo Cardinales a Paulo V. Pon-
 tifice creati.*

Hoc item anno Paulus V. Pontifex
 Maximus die undecima Septembris
 Romæ

*Ciacon. in
 vit. Pauli V.
 pag. 401.*

Sæc. XVII. Romæ in Quirinali Palatio octo Præsules Cardinalium Collegio adscripserat:
A. C. 1606.

Hos inter primus erat Ludovicus de Torres patria Romanus ex Archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii II. Maphæus Barbarinus ex Nobili Florentinorum genere ortus primo Archiepiscopus Nazarenus, Presbyter Cardinalis S. Petri in Monte aureo, postea Sancti Onuphrii. III. Bartholomæus Farratinus Americæ in Umbria natus, Presbyter Cardinalis sine titulo. IV. Joannes Garzia Millinus patria Romanus Cardinalis Presbyter tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum. V. Horatius Spinula Patritius Genuensis, patriæ suæ Archiepiscopus, & Presbyter Cardinalis tit. Sancti Blasii de Annulo. VI. Bonifacius Cajetanus Romanus Presbyter Cardinalis, tit. Sanctæ Pudentianæ. VII. Marcellus Lantes ex Illustri Pisana familia natus itidem Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum Quirici & Julitæ. VIII. Denique Horatius Massæus nobilis Romanus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum Petri & Marcellini.

§. XXXI.

*Franciscus de Avila Cardinalis
mortuus.*

His

His Purpuratis recens electis compen-
 sabatur jactura quatuor Cardina-
 lium, qui hoc anno Purpuram cum vita
 exuebant. Hos inter primus erat Fran-
 ciscus de Avila clarissimo genere Abulæ
 in Hispania natus, qui in Collegio S.
 Jacobi Universitatis Salmanticensis egre-
 giam literis politioribus operam nava-
 bat, ac Magistri laurea insignitus, ob
 virtutum merita & exactam Sacrarum
 literarum peritiam Canonicus primo &
 Archidiaconus majoris Toletanæ Ec-
 lesiæ nominatus est, postea ejusdem
 Urbis Apostolicus Inquisitor electus.
 Varia demum Ecclesiæ munia strenue
 ac laudabiliter obibat, tandem a Cle-
 mente VIII. Cardinalium Collegio ab-
 sens adscriptus. Romam igitur ad su-
 scipienda Cardinalatus insignia profe-
 ctus, auctusque Titulo Sancti Sylvestri,
 postea Sanctæ Crucis, a Philippo III.
 Hispaniarum Rege in demortui Petri
 Cardinalis Dezæ locum Regni Prote-
 ctor postulabatur. Anno autem sequenti,
 qui fuit Christi millesimus sexcentesi-
 mus, ab eodem Pontifice inter Cardi-
 nales, quibus Catholicæ fidei adversus
 hæreticam pravitatem conservandæ
 præcipua cura est demandata, annu-
 meratus, publica Hispani Regis Regni-
 que negotia in Curia Romana procura-
 bat, quo in munere omni sese data oc-
 casione

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

*Bentivol. in
 mem. hist.
 Ciacon. in
 vita Clem.
 VIII. Pe-
 tramela
 elogils.*

Sæc. XVII. casione Virum Ecclesiastica severi-
A. C. 1606. tate insignem, justitia conspicuum
 Ecclesiæ summopere proficuum, Regi
 ac Pontifici percarum, omnibus denique
 que morum comitate gratissimum exhibuit:
 Post Clementis VIII. obitum Sacris interfuit
 comitiis Leonis XI. & Pauli V. ubi cum se a
 Petro Aldobrandino Cardinali delusum arbitraretur,
 acerbius in eum pro vindicando Hispani
 nominis honore invecus est, qui propria
 confusus probitate, cum neminem improbum
 suspicaretur, in pertractandis negotiis
 simplex quidem nonnullis pro sæculi vafricie
 videbatur, re tamen ipsa Princeps erat in
 Christiana Politica versatissimus, in arduis
 constans, in dubiis cautus æque ac providus,
 & in Religionis cultu fervidus. Tandem
 vero Romæ morbo correptus diem vigesimam
 Januarii vitæ suæ postremam habuit. Corpus
 suum ad Ecclesiam Sanctæ Crucis delatum,
 ibidemque depositum, postea in Hispaniam
 ad tumulum suæ gentis proprium translatum est.

§. XXXII.

Antonii Facchineti obitus.

*Ciacon. in
 vita Innoc.
 IX. Cabrera
 in Carm.
 Vizzan. in
 hist. Bonon.*

Alter erat Antonius Facchinetus de Nuce patria Bononiensis, Innocentii IX. ex Sorore Pronepos, qui anno Salu-

Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio natus præclara egregiæ indolis, modestiæ, probitatis, Religionis ac eruditionis specimina ediderat; nondum enim decimum octavum ætatis annum attigerat, cum jamjam assidua librorum lectione, ac jurisprudentiæ studio tam vastam haulisset eruditionem, ut Referendarii, ut vocant, munere augeri mereretur, crescente autem meritorum fama die decima octava Decembris anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo primo ab Avunculo suo Innocentio IX. Cardinalis Diaconus tit. SS. Quatuor Coronatorum renuntiatus est: obeunte hoc Pontifice ab ejus Successore Clemente VIII. variis Ecclesiæ negotiis eo duntaxat sine præfectus videbatur, ut ubique pietatis, doctrinæ ac integritatis suæ specimina dandi occasionem nancisceretur. Ast tanti Viri expectationem intempesta nimium mors elusit; plurium enim dierum morbo acerbè cruciatus ætatis suæ anno nonnisi trigesimo tertio die decima octava Mensis Maji hortante eum ad extremam luctam Patre Petro Carmelita excalceato Concionatore Pontificio, animam Deo placidissime reddidit, non sine maximo omnium luctu, & majori adhuc Reipublicæ Christianæ damno. Cadaver
ejus

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. ejus tumultatum est Romæ in Ecclesia
 A. C. 1606. Sanctæ Mariæ ad Scalam apud Patres
 Carmelitas Discalceatos, translatum
 postea ad Basilicam Sancti Petri in Va-
 ticano prope Innocentii IX. Avunculi
 sui tumulum.

§. XXXIII.

*Augustini Valerii Cardinalis ex-
trema.*

*Tomasin. de
Nobil. gentis
Valer. Cia-
con. in vita
Greg. XIII.
Nic. Erithr.
Pinac. I.
Oldoin. in
addit. ad
Ciacon.* Hunc pari ferme fato sequebatur Au-
 gustinus Valerius Patritius Vene-
 tus anno Incarnationis Dominicæ mil-
 lesimo quingentesimo trigesimo primi-
 Venetiis natus. Hic ab ineunte ætate
 Græcis, hebraicis, latinisque literis ce-
 terisque bonis artibus in Patavino Gym-
 nasio apprime excultus, ita pietati ac
 Religioni deditus fuit, ut nunquam de-
 cترینæ elegantiam a vitæ probitate se-
 jungeret: Postea Venetias reversus mo-
 ralis Philosophiæ præcepta, quæ a La-
 zaro Bonamico aliisque præstantissimis
 Magistris hauserat, publice suis civi-
 bus tradidit, præprimis honestæ vitæ
 instituta Auditorum animis infigere sol-
 licitus. Theologiæ dein ac juris, le-
 gumque scientiæ diligenti opera navata
 utriusque facultatis Lauream adeptus
 est. Excelluit Historica cognitione, mi-
 raque oris facundia & eloquentia, ac
 via

vix duodeviginti annos natus Bonamico Magistro suo Oratione funebri parentavit, necnon sæpissime in publico Patrum confessu graviter & nitide differuit, quamvis si vulgari sermone latine loqui debuerat, in verbis inveniendis, prompteque collocandis, cum ea ad voluntatem non profluerent, hæsisset. Percarus ac valde familiaris erat Sancto Carolo Borromæo, quo etiam procurante Episcopus Veronensis a Pio IV. renuntiatus est, quo in munere Vir vere Apostolicus gregem sibi commissum ad sanctissimos mores & Christianæ vitæ disciplinam non modo sermone, sed & opere erudire nitebatur; nunquam enim in eo reprehendi poterat dissidium cordis & linguæ. Synodos quoque pro Cleri sui reformatione quotannis celebravit, Nosocomia ad egentium & ægrotorum levamen condidit, conscriptisque sanctissimis legibus Virginum ac Viduarum periclitantium pudicitiae consuluit. Eam ob rem ex publico Veronensis Senatus decreto ei in foro ænea statua cum inscriptione bene factorum erecta est: a Gregorio demum Papa hujus nominis decimo tertio Valerius absens inter Presbyteros Cardinales tit. Sancti Marci annumeratus, magno, tum Ordini illi amplissimo tum Patriæ suæ, splendori ornamentoque extitit. Postea Romam

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Miræus Bibl.
Script.
Sæc. XVII.

Sæc. XVII. Romam evocatus, variis Congregatio-
A. C. 1606. nibus & gravissimis Ecclesiæ negotiis
 præfectus est, semperque morum integritate, rerum civilium usu, ingenio eloquentia, & recondita Sacrarum literarum doctrina ac monumentis conspicuus florensque, optimi & utilissimi Senatoris partes quoad vixit, Romæ adimplevit. Tandem vero annuente Clemente VIII. ad Prænestinum Episcopatum promotus, Romæ religiosissime, ut vixit, mortuus est die vigesima quarta Maji anno ætatis suæ septuagesimo sexto: Corpus ejus primo in æde Divi Marci tumulatum, Veronam postea translatum est. Scripsit ultra centum & viginti opuscula latino sermone præter undeviginti dialogos *de æstivo canis ortu diebus canicularibus*: Edidit alia quamplurima tum latina tum vernacula lingua, quorum argumentum nullum aliud est, nisi vel de rebus sacris vel ad morès componendos pertinentibus: Horum omnium catalogum exhibet Augustinus Oldoinus ad calcem vitæ Valerii Cardinalis.

§. XXXIV.

*Bartholomæi Farratini Cardinalis
 decessus.*

Postre-

Postremus inter Purpuratos, qui hunc Sæc. XVII.
 annum sibi exitialem habebant, erat A. C. 1606.
 Bartholomæus Farratinus Amariæ in
 Umbria clarissimis ortus parentibus. Is
 adhuc juvenis Romam se contulit, ubi
 in Aula Romana versatissimus nonnisi
 virtutum ac meritorum commendatio-
 ne pluribus dignitatum honoribus au-
 gebatur, atque anno Christi millesimo
 quingentesimo sexagesimo secundo die
 nona Mensis Octobris Amerinus Præsul
 renuntiatur, quam Ecclesiam cum per
 novem annos rexisset, annuente Pon-
 tifice dimisit, factus Cancellariæ Re-
 gens, ac Signaturæ, ut vocant, utrius-
 que Præses. Consenuerat in hise mu-
 neribus, cumque propior sepulcro vi-
 deretur, a Paulo V. die undecima Se-
 ptembris hoc anno Presbyter Cardina-
 lis nominatur, in qua tamen dignitate
 vix quinquagesimum secundum diem
 expleverat, Romæ die prima mensis
 Novembris anno ætatis suæ sexagesimo
 nono mortuus. Erat divitiis abundans,
 quas ejus Nepotes, quibus eas relique-
 rat, funditus everterunt, sumptuosæ
 tamen ædes ab eo ædificatæ in Colle-
 gium de Propaganda fide conversæ
 fuerunt.

§. XXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XXXV.

Bellum in Hungaria contra Turcas & seditiosos continuatum.

Han Panon. nova & vet. ad ann. 1606. Merc. Gallo Belg. annal. tom. 6. l. 1. Sagredo hist. della Monarch. Ottom.

Interim in Hungaria tam Rudolphus Cæsar, quam Achmetes Turcarum Imperator bellum quasi novum parabant haud obscuro inditio, quod ambo pacem desiderarent: præprimis vero Turcæ numero haud plures quam quinquaginta die ad promovendum pacis negotium præstituta Jaurinum pervenerunt in urbem intromitti postulantes: Præfidiarii proximæ pacis fiducia decepti civitatis portas ultro aperuissent, nisi a quodam milite vigilias agente admoniti fuissent, quod tria Turcarum millia sub densa nebulæ caligine latitarent. Feliciori eventu Heiducci rebelles Toccaiam urbem non tam armorum quam famis violentia subjugabant. Epperia vix non ad easdem angustias redacta. Cum vero mille circiter Tartari die decima septima Mensis Aprilis superato ad Budam Danubio Albam Regalem versus prædabundi excurrerent noctu a Cæsareis obruti non sine suorum clade, opimam, quam abegerant pecorum prædam amisere: eodem quoque Mense sex Turcarum millia in Lipam inopina vi irruere parabant: ast re-

com-

comperta Hussari, qui simulata fuga in Sæc. XVII. infidiis latebant, Turcas tumultuario A. C. 1606. impetu in urbem penetrantes tanto furore adorti sunt, ut bis mille trucidatis cæsoque Bassa ceteros in fugam agerent. Hæc tamen clades Barbaros in Christianorum excidium intentos minime absterrebat, quo minus rebelles Heiduccos, qui numero quindecim milium haud minores erant, ad vastandam late regionem, promissis etiam pecuniarum subsidiis animarent.

§. XXXVI.

Pacis negotium Cæsarem inter & Hungaros rebelles maturatum.

Hucusque iterata pacis conciliatio *P. Calmet* optato caruit successu, reluctantibus *hist. Univers. lib. 153.* semper Hungaris Protestantibus, *Trauan. l. 136.* qui exclusis Ecclesiasticorum suffragiis *Hertenberg. hist. Prag-* sibi de privilegiis & sectæ suæ profitendæ *mat.* libertate satis superque caveri postulabant. Ex adverso autem tam Botskaius quam Illishascius ad pacis consilia propensum exhibebant animum: Horum pariter votis accesserat Matthias Austriæ Archidux, qui amplissima potestate, quam a Rudolpho Cæsare fratre suo habebat, præprimis domesticos in Hungaria motus componere statuit. Hanc in rem Falkensteinium, Mollartum, *Hist. Eccles. Tom. LIV.* G tum,

Sæc. XVII. tum, Liechtensteinium, Boknerum,
 A. C. 1606. Ekbodium, Turzonem, Forgatzium &
 Krempurgum, omnes primæ Nobilitatis
 Viros delegabat: Vicissim vero Bots-
 kajus Illishascium, Vichellium, Ostium,
 Homonaium, & Nagiaporium aliosque
 primarios Hungaricæ Nobilitatis Ma-
 gnates Viennam, ubi pacis conventus
 ageretur, decernebat. Fervebat utrius-
 que partis studium, crebroque nuntii
 ad Cæsarem, & ad Botskaium gravi
 morbo correptum commeabant, tandem
 vero pacis articuli proponuntur omnes,
 excepta solum Religionis libertate;
 quamvis enim jam evoluta biennio ex-
 tra comitia decretum esset, ut Re-
 ligio relinqueretur cunctis libera, Pro-
 testantes tamen Hungari generale hoc
Religionis nomen ad Lutheranæ, Cal-
 vinianæ & Catholicæ Religionis liber-
 tatem differtis verbis extendi postula-
 bant, pacis mentionem fieri recusanti-
 bus, donec eorum pertinaciæ cunctis
 hæreticis innatæ satisfieret. Cessit tan-
 dem Matthias Archidux, qui omnibus
 Hungaris, Sectæ, quamcunque vellent
 sequi, profitendæ libertatem promisit,
 rem non Cæsaris, sed propriam agens.
 Cautum tamen, ne exinde ullum Ca-
 tholico-Romanæ Religionis præjudicium
 fieret, Sacerque Ordo sua Templâ
 prorsus integra, intactaque retineret,
 & si

& si quæ barbararum tempore occupata fuerint, sine mora Catholicis restituerentur. Sublato igitur præcipuo obice in sequentes articulos facile conspiratum. I. Ut pax cum Turcis pariter æquis conditionibus fanciatur. II. Palatinus a Regni Ordinibus eligendus jus inter partes dicat, inconsulto Cæsare, interim vero Matthias Archidux non Gubernatoris amplius, sed Proregis titulo uteretur. III. Regni corona annuente Cæsare Pofonium transferretur, & in Cæsaris custodia relinqueretur. IV. Cæsarei Quæstoris potentia ultra vectigalium administrationem non extendatur. V. Imperatori libera Episcopos nominandi potestas relinquatur, iique in consilium deinceps admittantur, dummodo Hungaricæ Nationis Nobiles sint. VI. Jesuitæ non sibi solis tot Regni bona vindicent, sed Regum donationes juxta Regni decreta fiant. VII. Præfecturæ Hungaricæ & annexæ Provinciæ per Hungaros administrantur, eæque nullo Religionis discrimine bene meritis a Rege attribuantur. VIII. Botskaio Transylvania cum titulis & arcibus annexis cedatur, unacum decimis Agriensibus ultra Tibiscum: si tamen sine mascula prole decedat, cuncta ad legitimum Hungaricæ Regem devolvantur. IX. A Botskaio proscriptis bona restituantur.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. tur. X. Denique, Heiduccis stipendio
A. C. 1606. perfoluto, præteritorum oblivio utrin-
 que fervetur. Hæc die decima quarta
 Septembris Viennæ conclusa ab utrius-
 que partis Delegatis subscripta Bohemis,
 Moravis, Silesitis & Austriacis Prote-
 stantibus sigillo suo firmanda, ut con-
 ventum erat, tradebantur, iisdem re-
 licta potestate, ut Protestantes Imperii
 Principes ad horum capitum approba-
 tionem invitare valerent. Illishascius
 quoque nulla mora Cassoviam ad Bots-
 kaium, quæ gesta essent, relaturus con-
 cessit: Postea admissi ad Matthiam Le-
 gati & rebellionis veniam petentes in gra-
 tiam redire, confestimque ad Serdarem
 Bassam quidam decreti sunt, qui eum
 de pacis articulis certiore facerent,
 ne quid hostile impostero in Cæsareis
 provinciis moveret, sed adventantes
 propediem Legatos quiete præstolare-
 tur: Solus obstiterat adhuc Rudolphus
 Imperator, qui a subditis sibi leges præ-
 scribi, Transylvaniam rebeli hæretico
 relinqui, & sectæ libertatem pactis fir-
 mari, indignissime ferebat, tandem ve-
 ro non propria sed Ministrorum volun-
 tate, pacem ratam habuit.

§. XXXVII.

Pax Cæsarem inter & Turcas agitata.

Pace

Pace cum Hungaris confirmata Turcarum Sultanus cursorem ad Vezerium, Bassamque Budensem ablegabat, serio eisdem præcipiens, ut pacem cum Christianis inirent; Allatus tum erat nuntius Constantinopolin, quod Gambolatus Alepi Præfectus concitata rebellionem Tripolitanum, Damascenum & Gazarenum Bassas, qui in eum conjunctis viribus movebant, ingenti clade fudisset, occupatisque pluribus urbibus, ac navibus, quæ tributum Sultano advehebant, interceptis, jamjam quadraginta armatorum millia sub signis haberet, seditiosis prædam Constantinopolin usque agentibus: Insuper Turcarum exercitus in Perside cladibus, peste & fame vix non ad nihilum redactus erat. Nec parum valebat ad augendam calamitatem repente exortum Constantinopoli incendium, quo plusquam octingentæ domus absumptæ sunt, damno ad multa centena aureorum millia æstimato. His adversæ fortunæ casibus Sultanus ad tantas redigebatur angustias, ut Serdares Bassa Oratori Veneto, Monarchiæ suæ excidium non nisi pace cum Cæsare inita redimi posse, declararet: eapropter hoc negotium toto studio Viennæ urgere cæpit: Ceterum Rudolphus Imperator deplorandum Turcici Imperii statum edoctus, provida

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

*Sagredo
mem. Istor.
de Ottom.
Thuan. &
Calmet l. c.
Merc. Gallo
Belg. tom. 6.
lib. 1.*

Sæc. XVII. cunctatione, ac simulata quadam re
A. C. 1606. pugnancia eo magis honorificam pacem
 se obtenturum sperabat: eapropter se-
 dulo suorum exquirebat consilia ac præ-
 cipue Georgii Balthæ strenui Belliducis,
 qui ferme nunquam præliabat, nisi vin-
 ceret, & nunquam vincebat, nisi cum
 augmento suæ gloriæ, & hostium in-
 teritu. Hic ergo composita cum Hun-
 garis pace bellum contra Turcas totis
 viribus continuari suadebat: *Cæsaris*
sua Majestas, inquiebat ipse, urgeat sum-
mun Pontificem, ut ceteros Principes Chri-
stianos præsertim renitentes ad ferenda au-
xilia adstringat, interminatis Ecclesiæ con-
suris, quæ in hac rerum vicissitudine æqui-
simæ sunt. Iram Dei meretur, qui De-
causam negligit. Prævaluit tamen cete-
 rorum consilium, qui pacem quovis præ-
 tio redimendam censebant.

§. XXXVIII.

Pax Cæsarem inter & Turcarum Im-
peratorem firmata.

Calmet &
Thuan. l. c.
Mercur.
Gallobelg.
tom. 6. l. 1.

Igitur Turso, Isthuanus, Molartus &
 Althemius Cæsareæ Majestatis Legati
 unacum Ahmetis Turcici Imperatoris
 Deputatis ineunte Mense Octobri Co-
 morram conveniunt, de pace acturi.
 Accidit autem, ut Octava die ejusdem
 Mensis, cum quidam Lutheranzæ Sectæ
 Præ-

Præco ad populum declamaret, Buchemius & Knæveus bene poti cum ministris aliquot templum ingressi vulneratis non paucis miserum hunc Concionatorem e suggestu ac Templo profligarent, tanto excitato tumultu, ut pueri quidam pedibus conculcati perirent, omnesque extrema quæque sibi imminere vererentur. Ea res Hungaros adeo commoverat, ut Turso & Badianius, qui pacis negotio adesse debebant, urbe excedere pararent, ægre a Collenitzio & Molarto retenti. Sedato demum tumultu die vigesima quinta Octobris Cæsarei Legati, qui Solimanum Bassam Budensem, cum jam septem annis Viennæ captivus hæreret, & alterum Hali nomine secum adduxerant, ad destinatum sibi locum convenere: pariter Illishafcius & Proceres Hungari, ac tandem Turcici Legati accessere. Nono igitur Novembris die re utrinque acriter disceptata negotium hoc feliciter confectum, & pax post cruentum sexdecim annorum bellum cum Turcis sancita est, præstito utrinque juramento, obsidibusque in fidei pignus utrique parti traditis.

Sæc. XVII.

A. C. 1606.

§. XXXIX.

Pacis articuli.

G 4

Porro

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

*Calmet hist.
Univers.
lib. 153.*

Porro in has transactum erat conditio-
nes. I. Deinceps Cæsar ab Otto-
mano Imperatore Pater, & hic vicissim
ab illo Filius, ambo vero abolito Regis
titulo Imperatores deinceps nominen-
tur. II. Tartari hoc fœdere compre-
hendantur, nec tempore pacis Christianos
infestent. III. In hac pace, qua
ad viginti annos extendatur, compre-
hensa sint utriusque Imperii Regna &
universæ Domus Austriacæ ditiones.
IV. Neutra pars obsistat, si Hispania
Rex cum Turcis convenire velit. V.
Ab Excursionibus, & latrociniis utrin-
que abstineatur, qui secus fecerint, se-
vere puniti damna resarciant, relicta ta-
men sit cuilibet piratas & prædones in-
festandi potestas. VI. Nulla clande-
stina consilia ineantur, nullusque re-
ceptus maleficis præbeatur, ceteris ve-
ro negotii causa liber utrinque sit tran-
situs. VII. Penes Jaurini Præfectum
& Budensem Bassam de controversiis
forte exortis plenum jus decidendi sit,
rem tamen majoris momenti, si ab eis
transigi nequit, ad utrumque Impera-
torem referant. VIII. Neutra pars
propugnacula dirutasque arces reparet.
IX. Captivi utrinque in libertatem vire-
dicentur, vel permutatione vel soluto
lytro dimittendi. X. Statim Rudolphus
Cæsar suum Legatum cum ducentorum
mil-

millium florenorum munere Constanti-
 nopolin, vicissim vero Sultanus suum
 cum pretiosissimis muneribus Pragam
 decernat, quod idem singulis trienniis
 fiat. XI. Vaccia Christianis, Strigo-
 nium Turcis relinquatur, cunctis ad
 pristinum statum revocatis, nec ulla
 vi Religioni illata. Firmatis hisce ar-
 ticulis ingens passim lætitia exstitit, ac
 Christiani quidem die decima tertia No-
 vembris reboantibus belli tormentis Am-
 brosianum Hymnum Comorræ decan-
 tabant, Sultanus quoque per Buden-
 sem Bassam de confecta pace certior fa-
 ctus, cum ingenti Janifferorum multitu-
 dine augustius Templum ingressus Ma-
 hometi suo solemnes gratias rependit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

§. XL.

*Botskaius Transylvaniae Princeps ve-
 neno necatus.*

Haud diu Stephanus Botskaius Tran-
 sylvaniae Principatu, quem ex pa-
 cis præscripto jure fiduciario possede-
 rat, quiete potiebatur; Cantajus enim
 ejus Cancellarius Principi suo, quem
 ad prandium invitaverat, venenum pro-
 pinabat, quo hausto Botskaius perfidum
 hunc Ministrum quantocius in vin-
 cula conjectum capitis supplicio affici
 jussit, subrogato Joanne Janusio, &
 Can-

*Han Panon.
 hoc ann.*

Sæc. XVII. Cancellarii prædiis eidem attributis, ce
A. C. 1606. jus tamen sententiæ executio [primus
 die decima tertia Januarii peracta est
 Interim vero Botskaius medicamentis
 nihil proficientibus die vigesima secun-
 da Decembris secundo Principatus sui
 anno Cassoviæ decessit, ante mortem
 suam palam professus, libenter se mori
 riturum, dummodo obtenta Dei gratia
 sese de seditione coram toto Romano
 Imperio excusare, sibi liceret. Habebat
 bantur primum die secunda Februarii
 anni sequentis solemnes exequiæ: al-
 tera autem die cadaver ejus Albam Ju-
 liam translatum est. Mortuo hoc Prin-
 cipe nequaquam Hungarorum Prote-
 stantium contentio cum Cæsare & Au-
 striaca Domo, utpote Catholica, quie-
 vit; quamvis enim juratis etiam pacis
 conventum esset, quod universum Da-
 ciæ jus, Botskaio sine prole mascula de-
 cedente, in Cæsaris manus fide integre
 reverteretur, nihilominus ferocior he-
 reticorum factio suorum multitudinis
 insolens contra jus fasque inconsulte
 nec conscio Cæsare Sigismundum Ro-
 gozium, invitum sane, maximaque
 contentione reluctantem ad capeffenda
 Daciæ gubernacula rapiebat: Ut ven-
 audacis hujus facti invidiam lenirent
 speciosis excusationibus, argutiisque
 Genevensi schola petitis per suos Le-
 gatos

gatos die duodecima Martii Viennam Sæc. XVII. A. C. 1606.
 decretos exponebant, quod neutiquam
 a Cæsaris obsequio recedere meditarentur, sed duntaxat quorundam Transylvanorum Procerum, qui huic Principatui inhiarent, molitionibus obviam ire intenderent, de cetero Ragozium velut Cæsaris donum & auspicium, imo in Ragozio Cæsaris vices, & imaginem sibi propositam spectarent. Verum Ragozcius, qui Calvinii sectam, retento tamen quantum in ipso erat, tranquillitatis studio, profitebatur, oppido alienus erat a tentanda, quam hujus sectæ fanaticus inspirat, seditione in legitimum suum Principem, quod etiam luculento comprobabat testimonio, dum se sponte Daciæ Principatu abdicaret, electo in ejus locum Gabriele Bathorio, quamvis Botskaius testamento cavisset, ut hoc diadema in Valentinum Homonaium transferretur.

§. XLI.

Ingens Romæ tempestas, atque Tiberis exundatio.

Die vigesima quinta Januarii Romæ tam horrida tempestas imbrium & ventorum exstitit, ut ejus atrocitas sermonem, miseræ gravitas calamum, recordatio ac narratio fidem hu-

Sæc. XVII. humanam superet; nam præter
 A. C. 1606. sturbatum procellis aerem jam mo

bes ventorum violentia agitatæ inte
 se collidebantur, creberrimoque rupti
 tonitru fragoribus aures & pavore pal
 pitantium incolarum corda verbera
 bant: Insuper fulmen divi Petri tem
 plum, aliud vero Monasterium Fran
 ciscanorum, quod *Ara cæli* vocatur
 concussit, aucto inde tot malorum ter
 rore, eoquod veluti terræ motu con
 cussa domorum fundamenta nutare cre
 derentur. Novis autem undique
 quarum accessibus adaucta Tyberis ad
 tantam excrevit altitudinem, ut non
 modo omnes vici, urbisque plateæ, sed
 omnes pariter circumquaque agri, do
 musque natate viderentur, ac qua parte
 paucas ante horas continentis planities
 extra urbem late prata virentesque cam
 pos explicuerat, ibi nunc rapida elu
 vione circumquaque effusa Tiberis in
 cederet, non minus quinque milliarium
 spatio. Jamjam in momenta singula
 haud paucorum, qui fluctibus intercepti
 erant, salus in discrimen adducebatur,
 atque ad omnem halitum interclusus
 formidine mortis spiritus tanquam in
 naufragio fluctuabatur: aliis nil resta
 bat, nisi ut fame morerentur, ventumque
 esset ad necessitatis desperationem, nisi
 Magistratus solertia & summi Pontificis
 pietas

*Gallut. de
 Bello Belg.
 lib. 18.*

pietas malis remedium, & miseris auxilium tulisset. Hic enim promulgato mox edicto præceperat, ut Piftores magna copia panes navigiis hinc inde transveherent, ne quos aquarum vis domibus inclusos tenebat, famis violentia enecaret. Haud mitius, serius licet, die vigesima septima Martii Belgium aliæque orbis partes tam sæva ventorum intemperie infestabantur, ut navibus in mari submersis, in continenti evulsis funditus arboribus, quassatis domibus, disjectisque turribus, atque apertis in Batavia Boreali aggeribus extremi diei calamitates jam in mentibus, jam in oculis omnium obversari viderentur. Exacto ferme sequentis anni Mense Januario simile fatum quasdam Angliæ Provincias afflixerat.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XLII.

Molimina Hispanorum in Belgio contra Fœderatos Calvinistas.

Interim turbæ, armorumque apparatus Hispanos inter & Fœderatos ad bellum majori adhuc furore prosequendum spectare videbantur; præprimis vero Batavi classem in Hispanos emittebant imperante Hantænio, qui tamen amplioris fortunæ spe dejectus non nisi de prædatis paucis Mercatorum navibus inglorius

Grotius Hist. lib. 15.
Gallutius l. c.
Merc. Gallo-belg. t. 6. l. 1.
Thuan. l. 136.

Sæc. XVII. glorius domum rediit. Albertus ven
 A. C. 1606. Archidux Terralium Belliducem Rhe
 num versus immisit, ut locum futuræ
 expeditioni commodum occupare nit
 retur. Hic igitur Brefortium intere
 pere molitur, urbemque prospero suc
 cessu occupat, præfidiariis ad arces
 confugere compulsis, quos tamen cum
 obsidere parat, Henricus Princeps Ne
 fovius tempestive in opem accurrens
 recuperata urbe ab obsidionis periculo
 liberat. Sub idem tempus Catholici
 Frisiam invadebant, unde Fœderati, ut
 hostem diverterent, Brabantiam & Flan
 driam infestarunt. Minus tamen Ca
 tholicis ab hoste, quam a militum ter
 multu periculum erat, Vachtendonck
 nis præfidiariis seditionem molientibus
 quæ tamen Decurione quodam pugione
 aliisque duobus perfidiæ reis laque
 mulctatis extincta est. Ita paucorum
 pœna cunctorum correctio exstitit. Post
 ea idem Terralius in oppidis invadendis
 animosior, quam felicior Slusa potius
 tentabat, sed post faustum rei princip
 pium sine cunctatione fugam arripere
 coactus est, desideratis suorum plus
 quam quinquaginta, captisque nonnu
 lis, inter quos erat Jesuita quidam que
 tuordecim vulneribus faucius, qui se
 militibus adjunxisse fatebatur, ut op
 pido Romanæ fidei reddito ipse primus
 ibidem

Ferreras
contin. Hist.
Hisp. tom. II.
Khevenhill.
tom. 6.
pag. 3076.
Haræus t. 3.
pag. 634.

ibidem Sacrum peragere posset. In-
 fausti hujus successus culpa, cum in
 Ductorum aliquot oscitantiam rejicere-
 tur, Rezorius & Cranchenburgius Cen-
 turiones Bruxellis capite plexi sunt. In-
 terim Marchio Spinola, in Belgium re-
 versus habito cum Alberto Archiduce
 consilio per Frisiam in Velaviam irrum-
 pere statuit, moxque cum Bucquoio cu-
 ras, copiasque partitur: Hic ergo in
 agrum Batavum, quem Rhenus in Va-
 halin, sui que nominis alveum divisus
 amplectitur, transire parat, Marchio
 autem ad Geldriæ partem, quæ Vela-
 via dicitur, cum suo exercitu properat,
 frustrante tamen prosperum ipsius pro-
 gressum aeris intemperie; quippe assi-
 duis improbisque imbribus, ventorum-
 que vehementia haud minor equorum,
 quam militum pernicies erat: unde
 Mauritius fatali hac suscepti itineris mo-
 ra exercitum suum subvehendi spatium
 nactus inter Deventriam, & Zutpha-
 niam urbes castra posuit, ut quocunque
 res vocaret, præsto esset. Hoc com-
 perto Spinola otio infensus Lochemium
 expugnare decrevit, quod & tertia ob-
 sidionis die deditio cepit. Altera ex
 parte Bucquoius Vahalin, Spinola au-
 tem Isalam trajicere tentabant, irrito
 tamen conatu, quocirca Marchio Grol-
 lam obsidere, ineunte Mense Augusto
 aggress-

In-Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

Sæc. XVII. aggressus est, quod oppidum decima
A. C. 1606. sexta ejusdem Mensis die armis suis sub-
 jecit. Postmodum continuato victoriae
 cursu Rhenobergam obsidione cinxit,
 non sine secundi eventus præludio; præ-
 mo enim itinere Bucquoius quinque
 Mauritiæ naves obvias habuit, quas acriter
 infectatus eorum quatuor dilapsi
 milite incendit, unam tormentis qual-
 fatam cepit, die autem vigesima secun-
 da Augusti iter prosecutus Rhenober-
 gam pervenit, ubi adventante Spinolæ
 urbs omni ex parte verberari cæperat
 obsessis crebro erumpentibus, semper
 tamen non sine clade repulsis. Tum
 plane, nullam virtuti difficultatem im-
 perviam esse monstrabat Hispanorum
 ad vincendum obfirmatus animus; nam
 quamvis obsessi extrema quæque tenta-
 rent, & Mauritiæ sollicitudo ad omnes
 casus intenta Catholicos sæpius infe-
 staret, validasque suppetias urbi labo-
 ranti ferret, die tamen secunda Octobris
 Rhenoberga victricibus Spinolæ armis
 cessit, quam cladem Mauritiæ Princeps
 ulturus Venlonam, incassum tamen
 occupare tentat, ac Lochemio recu-
 perato, pariter Grollam obsidione
 cingit, quam tamen Spinolæ solertia
 delusus solvere cogebatur.

§. XLIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.*Constitutiones Pauli V. Pontificis.*

Cum summus Pontifex non modo ad *Bull. Magn. Pauli V.*
 temporale subditorum commodum, *Constit. 12. & seqq.*
 sed præcipue ad Ecclesiæ ac Ordinum
 Regularium prosperitatem, utilitatem-
 que pastorali cura intentus esset, hinc
 ingruente sterilitatis timore ac annonæ
 caritate de rebus ad communem vitæ
 usum, ac sustentationem necessariis pa-
 terne providit, editis hanc in rem plu-
 ribus edictis. Alia quoque Constitu-
 tione die vigesima prima Januarii Con-
 gregationem Sancti Ambrosii cum illa
 Sancti Barnabæ sub Regula Divi Au-
 gustini conjunxit. Sub idem ferme tem-
 pus summo Pontifici Superiores Fratrum
 Congregationis Jesuatorum referebant,
 quod quidem juxta Institutum suum fra-
 tres post emissam professionem Sacris
 initiari haud consuevissent, ac propterea
 quidam, qui violata hac lege ad S. Or-
 dines promoti fuerant, jussu Gregorii XIV.
 ab Ordinum executione suspensi fuis-
 sent, nihilominus ad Ordinis sui incre-
 mentum haud parum conduceret, si
 saltem illi, qui ex ordinatis adhuc su-
 perstites essent, Ordinem suum exequi
 permetterentur: Horum igitur desiderio
 annuens Pontifex primo centum eorum,
Hist. Eccles. Tom. LIV. H post-

Sæc. XVII. A. C. 1606. postea cunctos hujus Instituti alumnos ad Sacerdotium habiles declarabat, ita tamen, ut ad Sacros Ordines non promoti iisdem privilegiis ac promoti gaudeant, nullus autem quovis obtentu aquas distillatas mulieribus vendere valeat. Speciale etiam est, quod hi fratres non a quovis loci Ordinario ad Sacros Ordines promoveri potuerint, sed eis nominatim aliqui fuerint designati: promotis vero imposita horum Canonicarum recitatione Missas Solemnes cantare, præfatasque aquas conficere haud concessum fuerit. Hanc in rem edita est Constitutio die decima octava Februarii. Alia vero sequentis Mensis die decima septima omnes Monachos Sancti Basilii ad unam Congregationem reduxit Pontifex, addita hac ratione, quia *hic Ordo omnes ceteros Regulares antiquitate præcedit.* Die vigesima nona Aprilis Papa omnes Monachos Ordinis Cælestinorum in Galliis subiecit potestati Abbatis generalis. Declarabat etiam die decima sexta Maji, quod Clerici Regulares Ministrantes infirmis nequidem ad Carthusianos absque Sedis Apostolicæ consensu migrare valeant. Demum ad preces ipsorum Regularium Papa suo diplomate die vigesima tertia Martii Indulgentias *via communicationis* extensas revocans, eis, etiam Monialibus

bus, novas concessit Indulgentias. I. Sæc. XVII. Habitum Regularem suscipientibus. II. A. C. 1606. Profitentibus. III. In festo principali Ordinis. IV. In articulo mortis. V. Primam Missam celebrantibus, vel eidem præsentibus. VI. Sacris exercitationibus vacantibus. VII. eorum Ecclesias intra clausuram visitantibus vel quinquies orationem Dominicam recitantibus, necnon Prædicatoribus & Lectoribus. VIII. Orationi mentali vacantibus. IX. Se de culpis propriis in capitulo accusantibus. X. Missiones Apostolicas acceptantibus. XI. Denique Orationi quadraginta horarum assistentibus. Omnes hæ indulgentiæ sunt, ut vocant, *plenariæ*, exceptis VII. VIII. & IX. Postea idem Pontifex Monachis & Monialibus Fuliensibus die nona Julii & vigesima prima Novembris varias indulgit gratias: pari quoque favore complectebatur militiæ Sacræ Equites, si per triennium contra Infideles in Africa militassent. Die autem prima Septembris revocat omnem facultatem Superioribus olim concessam suorum Religiosorum causas ad Sacram Inquisitionem spectantes cognoscendi: fautores quoque hæreticorum, aut qui S. Officium impediunt, excommunicationem latæ sententiæ incurrere declarat. Denique ejusdem Mensis die quinta

Sæc. XVII. Septembris Capuccinis nova loca recipiendi facultas datur.
A. C. 1606.

§. XLIV.

S. Congregationum decisiones ex Pontificis mandato promulgatae.

*S. Congr.
Rituum &
Congreg.
Episc.*

Plures itidem corruptelas, quæ sensim in Ecclesiæ ritibus vel disciplina irreperant, summus Pontifex in Sacris Cardinalium Congregationibus eradici iussit, editis desuper salutaribus decretis, quorum primo declaratum, quod Missæ ad satisfaciendum elemosynis alicui Ecclesiæ traditis, non celebrentur per externos, si per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ fieri possit, die autem decima sexta Januarii statutum, quod Episcopus Officium, quod in civitate celebrari solet, ad suam Diæcesim extendere nequeat, nec Vicario liceat dare Benedictionem Diacono, antequam cantet Evangelium, nec Concionatori pulpitem ascendenti: declaratum quoque die quarta Martii, quod qui habet usum Mitræ ex privilegio, non possit impertiri indulgentias: sancitum præterea die vigesima octava Aprilis, quod Archidiaconus, qui sustinet Episcopi Baculum, thurificandus sit post Diaconum: benedictio autem & distributio Candellarum & ramorum in omnibus

nibus Ecclesiis tam Collegiatis quam ^{Sæc. XVII.} Parochialibus utriusque Cleri fieri queat: A. C. 1606.

Episcopus tamen in aliena Diæcesi con-
 cionaturus nec coram Cardinali Bene-
 dictionem petere teneatur. Pariter die
 decima nona Maji decisum, quod *Glo-*
ria cum *Credo* omittatur in Votivis
 pro re gravi, si violacea adhibeantur
 paramenta, rei gravis autem signum
 sit, si convenit totus Clerus cum Epi-
 scopo vel apud Regulares in eorum Co-
 mitiis generalibus, si cantatur Missa pro
 re, eorum iudicio gravi: *Gloria* vero
 semper dicatur in Missis votivis B.V.M.
 & in Sabbatis per Adventum. Septi-
 mum tamen candelabrum duntaxat ad-
 hibeatur in Missis Episcopi solemnibus,
 non autem defunctorum, horum vero
 Missæ non sint cantandæ, nec celebra-
 ndæ in diebus solemnibus, uti decidit
 S. Rituum Congregatio die vigesima
 tertia Junii: Congregatio autem Epi-
 scoporum die prima Julii declarabat,
 quod Regulares ad Monialium Mona-
 steria sine licentia accedentes poenam
 peccati mortalis incurrant, & Monialis
 exorcisanda in Ecclesia exteriori exorci-
 setur: declaratum quoque, quod pia
 consuetudo servetur pulsandi campanam
 aliquot ictibus tam vespere quam ma-
 ne, quando dicendum est Officium mor-
 tuorum. Die prima Septembris statu-
 tum

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

tum est, quod Clerici ex Seminario in supplicationibus primi ante Clerum sæcularem post Curatos incedant: Præterea Sacra rituum Congregatio die decima septima Novembris decidit, quod in Altari privati Oratorii non possit Missa celebrari in Natali Domini, Epiphania, primis diebus Paschatis & Pentecostes, Annuntiatione, etiam translato ejus festo, in Cæna Domini, etsi tunc occurrat festum S. Joseph vel Annuntiationis, in Assumptione B. V. SS. Petri & Pauli, atque omnium Sanctorum.

§. XLV.

*Jesuitæ ex Gedanensi & Torruensi
Templis ejecti.*

*Laudorp.
lib. 12.*

*Thuan. hist.
lib. 136.*

*Luc. Hist.
Jesuit.*

l. 4. c. 5.

Jam decimus quartus effluxerat annus, ex quo Gedani, quod est Prussiarum Regalis seu Polonicæ clarissimum imperium, Societatis Patres quoddam Brigittani Ordinis Templum sibi vendicabant, ibidemque Sacris celebrandis, excipiendisque Confessionibus intendebant: additis etiam ad aurium oblectamenta Symphoniacis, musicisque instrumentis: cum vero hujus Monasterii patrocinium ad Urbis Consules pertineret, ab eis monebantur Patres, ut abstinerent; cum autem hi parere recusarent, urbis Magistratus auctoritatem

tatem suam interponens edito die vi-
 gesima quinta Augusti decreto Jesuitis
 denunciabat, ut intra tridui spatium e
 monasterio emigrarent omnes, asportata
 omni sua suppellectile, secus si facerent,
 Magistratus contra eos legum severitate
 usus esset. Æquale fatum non ta-
 men eadem ex causa subiit Societas
 Torruni Borussiae Polonicæ urbe ad Vi-
 stulam fluvium sita, Templis, ædificiis,
 atque emporio clarissima; ibidem enim
 Parochum inter & urbis Senatum ita
 convenerat, ut jus Patronatus integrum
 penes civitatem ejusque Consules esset,
 Scholæ autem & Templi majoris ad
 Sanctum Joannem, necnon Parochialis
 domicilii cura soli Plebano relinquere-
 tur: Progressu temporis Jesuitæ Lau-
 rentii Gebickii Culmensis Episcopi fa-
 vore adjuti, inconsultis tamen Senato-
 ribus cum Parocho convenere, ut is
 Vicarii titulo contentus esset, Patribus
 vero Templi, & Scholæ administratio-
 nem cederet, postea Parocho ex domo
 sua ejecto duo introducebantur Jesuitæ,
 unus pro Confessionibus, alter pro Con-
 cionibus habendis: Reclamabat Sena-
 tus, nullo tamen successu; quinimo
 præter duos illos Jesuitas subinde alii
 advenerant, qui obtento quodam Pri-
 vilegio, Ecclesie, Scholæ & Parochia-
 lis Domus possessionem sibi vendica-
 bant,

H 4

bant,

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. bant, auctoque indies eorum numero
 A. C. 1606. viduarum, & pupillorum ædes eme-
 bant, apertisque Scholis Collegium e-
 rigebant, unde creberrimi per vicos &
 plateas tumultus oriebantur, eorum
 præcipue discipulis cives injuria & con-
 tumelia afficientibus. Senatus vero
 ne per conniventiam jure suo privare-
 tur, die duodecima Octobris Parochia
 significari jussit, quod Ecclesiæ, domus
 & Scholæ administrationem recuperari
 fatageret, Jesuitas vero, eoquod talia
 propria auctoritate moliri ausi essent,
 removeret, eosque domo & Ecclesiâ
 interdiceret. Reponente autem Parochia,
 quod rem ad Episcopum referre vellet,
 Senatus haud expectandum ratus Paro-
 chum pristinae possessioni restituit, Je-
 suitis vero denunciavit, ut sponte Pa-
 rochiali domo cederent, atque a Tem-
 plo & Schola imposterum abstinerent.
 Hi vero Scholam quidem claudere &
 Collegio cedere promittunt, domum ta-
 men Parochialem, & Ecclesiasticum mi-
 nisterium peragendi facultatem sibi re-
 linqui postulant. Attamen Senatus de-
 creto claves Parocho reddere, & Scho-
 læ atque Ecclesiæ ministerio sese abdi-
 care coguntur. Adventante autem Re-
 gio Oratore unacum Culmensi Episcopo
 Jesuitæ hac opportunitate usi statim se-
 quenti die Confessiones excipere, ac
 die

Juvenc. hist.
Soc. lib. 14.
 & 15.

die Dominica Conciones habere cæpe-
 rant, quo comperto Senatus Episcopum
 rogabat, ne post suum discessum Je-
 suitas eo loco relinqueret, secus hi pro-
 priæ suæ culpæ imputent, si contume-
 liose a civibus haberentur. Spreto hoc
 Senatus monito Episcopus Jesuitas Re-
 gio diplomate tutos esse respondit: Se-
 natus tamen Regem sinistre edoctum
 fuisse prætexens, literis publice affixis
 declarabat, quod Regem melius edo-
 cere, interim vero de jure suo nihil re-
 mittere vellet. Igitur prævalente Se-
 natu Jesuitæ Parochiali domo iterum
 cedere compelluntur, sparsis contra eos
 famosis libellis, in quibus de ambitio-
 ne, avaritia, & aliena invadendi cu-
 piditate perperam insimulabantur.

Sæc. XVII.
 A. C. 1606.

§. XLVI.

*Tumultus in Polonia ob Religionis
 diversitatem suscitati.*

Nec majori tranquillitate fruebatur
 ipsemet Sigismundus III. Poloniæ
 Rex; cum enim Annam Austriacam du-
 xisset, nonnulli Proceres veriti, ne quid
 ex his nuptiis detrimenti caperet publi-
 ca libertas, propter Austriacæ Domus
 Jesuitis addictissimæ potentiam, serere
 suspiciones & populum commovere cæ-
 perant. His omnium primi sua nomina

*Hospin. hist.
 Jes. p. 197.
 Lucius Hist.
 Jes. l. c.*

H 5 dede-

Sæc. XVII. dederunt hæretici, non modo Catho-
A. C. 1606. licæ Religionis odio incensi, sed & i-
 latis privatorum injuriis laceffiti: acci-
 dit enim, quod die decima tertia Martii
 Posnanix Jesuitarum Scholares trecenti
 fere numero inita cum aliis conspira-
 tione, impetum in Lutheranorum Tem-
 plum facerent, perfractisque foribus
 scammisque in unum congestis ince-
 dium excitarent, quo totum ædificium
 brevi in cineres versum est. Pari quæ-
 que furore Nosocomium devastarunt
 unde A catholici ad celebranda sæcra
 suæ sacra in patenti campo convenire
 cogebantur: cum vero & Cracovix
 diosi quidam Lutheranorum Templum
 destruxissent, Protestantes apud Regem
 Ordines de hac injuria Varsoviæ con-
 questi sunt. Ceterum Jesuitæ missis ad
 Regem Legatis significabant, quod
 discipulos suos in officio continere haud
 potuerint, cum hi indiscreto Religio-
 nis Zelo accensi, hæc Tempia omnia
 diruta voluerint, eorumque restaura-
 tionem inhiberi postularint, ne acrimo-
 nis turbis ansa præberetur. Nihil
 minus Rex, ut Procerum querelæ dis-
 scuterentur, Varsoviam Comitibus indi-
 cit, quorum tamen exitum haud præ-
 stolantes Lutherani foedus sub specta-
 tuendæ libertatis obtentu iniere, præ-
 cipuo Authore Zebridonio Cracovien-
 si Præ-

Præfecto, qui fæderatorum Ducem constituit Stadniskium pariter Protestantium doctrinæ vitæque licentiosæ valde deditum. Interim vero ingentes turbæ in comitiis Varsoviensibus inter Ecclesiasticos & sæculares Proceres oriebantur: Hi enim pro sectæ suæ libertate obtinenda, & Jesuitis ex Cracovia, Sandomiria, Varfovia, Leopoli &c. ejiciendis, necnon pro oneribus abrogandis, Ordinumque privilegiis tam acriter decertabant, ut Rex pacis conservandæ studio in eorum sententiam abire videretur, Ecclesiasticis tamen nihil in Religionis negotio immutandum contententibus: Fœderati igitur, qui vulgo Rokossani appellabantur, cum nihil proficere cernerent, Lublini invito Rege conventum celebrant, in quo tamen confuse, nimisque insolenter res ab eis agebantur; ipsum enim Regem convitiis proscindere ausi, insuper se armis Religionis libertatem vindicaturos, jurisjurandi religione sese obstringebant, acerbius contra Jesuitas declamante quodam Equite Polono, cujus oratio a Rudolpho Hospiniano aliisque recitatur. Hoc comperto Rex a Patre Sarga Jesuita, ut fertur, persuasus, abrupto pacis negotio vim vi repellere statuit: rursus tamen res ad concordiam adducta est, ubi vero quatuor ex his fœdera-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. deratis Regis jussu debitas luebant pæ
 A. C. 1606. nas, Rokoffani inde irritati denuo ad
versus Regis copias movent: dimica-
 tur utrinque, victoria tamen in an-
 piti relicta. Ergo rursus de concordia
 agitur, Rege subditorum sanguini pa-
 cente, & Rokoffanis ad pacem nece-
 sitate compulsis; incautius enim pro-
 gressi, hinc fluvio, inde circumfusi
 agminibus regiis inclusi effugere hau-
 poterant: Tandem vero utrinque con-
 ventum, ut Razivilius necnon Craco-
 viensis Præfectus in proximis Regni co-
 mitiis ad reddendas suæ rebellionis ra-
 tiones se judicio sisterent, fide data, ut
 neutri id fraudi esset. Ceterum sanio-
 res haud diffitebantur, ad tuendam
 Regni tranquillitatem plurimum inter-
 esse, ut nimia Nobilitatis licentia justo
 temperamento reprimeretur: Protestan-
 tes tamen vociferabantur, quod exal-
 tata Regia potestate libertas conscientiarum
 concessa labefactaretur, idque sibi et
 magis persuadebant, quod Jesuitæ, qui
 consiliis *exoticis*, ut inquebant illi, fere
 reguntur, plurimum auctoritate in Aula
 pollerent, atque eandem querelis con-
 tra Protestantes motis turbarent.

§. XLVII.

Justi Lipsii obitus.

Inter

Inter hæc Justus Lipsius Vir illo ævo Sæc. XVII.
doctrinæ & eruditionis fama longe A. C. 1606.
clarissimus supremum obiit diem. Hic
Iscanii in Brabantia die decima octava
Octobris anno Christi millesimo quin- Jan. Nic.
gentesimo quadragesimo septimo ex per- Erythr.
vetusto Bruxellensium genere ortus a Pinac. III.
teneris præclara ingenii sui specimina Dupin. No-
edidit: vix duodecimum ætatis suæ an- vell. Bibl.
num attigerat, cum jam Athæ Hanno- tom. 17.
niæ urbe carmina, & orationes com- Thuan. l. 136.
poneret. Inde Coloniam ac postea Lo- Miræ.
vanium delatus, anno Domini millesi- Script.
mo quingentesimo sexagesimo quinto, Sæc. XVII.
Schotto & Clenardo celeberrimis Ma-
gistris, Philosophiæ operam navabat,
haud neglecto jurisprudentiæ studio:
præcipue tamen sese humanioribus li-
teris, ac antiquitatum cognitioni im-
pendebat, magisterio usus Cornelii Va-
lerii: Utroque autem Parente orbatus,
cum jamjam trium linguarum scientia
necnon lucubratione sua *de variis lectio-*
nibus ingens sibi nomen comparasset,
Romam profectus est, ubi Granvellani
Cardinalis subsidio in librorum scriniis
arcana quæque ac recondita vetustatis
monumenta singulari studio collegerat:
Roma autem discedens ac Lovanium
reversus, a sese nonnihil discessit, pau-
lulum voluptati, animoque suo obse-
cutus: verum Caroli Longii viri doctis-
simi

Sæc. XVII. fimi hortationibus ad seipsum reverſus
 A. C. 1606. libros *de constantia* elucubravit, in
 que ita multo poſt Viennam Auſtriæ
 venit, a Maximiliano II. perhonorificè
 exceptus: nihilominus patrii ſoli
 more abreptus in Belgium reverti con-
 ſtituit, ſed per Saxonæ fines iter
 ciens, cum omnia ſua bona in tumultu
 Belgico direpta intelligeret, Jenæ Pro-
 feſſoris munus obire compulſus eſt,
 voluto autem anno Coloniam, inde Le-
 vanium redux, ibidem Jurispruden-
 tiam publice tradebat, brevi tamen
 Lugdunum Batavorum evocatus tunc
 decim omnino annis cum ſummo om-
 nium applauſu vaſtiſſimæ eruditionis
 ſuæ præceptis Auditores ſuos imbu-
 bat. Inſimulabatur, quod ibidem Pro-
 teſtantium ſectæ nomen dediffet: ſed
 ille palam declarabat, quod quidem Ba-
 tavinæ Cathedræ munus, nunquam ta-
 men Batavinæ patriæ Religionem pro-
 feſſus hunc locum tanquam corporis
 non autem animæ ſuæ aſylum ſelegi-
 ſet: quinimo Lipſius inter medios Se-
 ctatores adverſus Theodorum Cornhe-
 tium alioſque Novatores Religionem
 Majorum egregie vindicabat: Tandem
 vero clam ex Hollandia ſeceſſit, eo quod
 animæ ſuæ ſalutem, ut inquiebat, præ-
 ſentis vitæ commodis præferret: Vix
 inde pedem efferebat, cum Pontifex
 Reges

Reges, Duces, Principes, Republicæ Sæc. XVII.
 atque Academiæ ferme omnes hunc A. C. 1606.
 Virum maximis ad se præmiis evocare
 certarent, ipse vero grati animi impulsu
 Brabantix Ordinum precibus cessit, eis-
 que suum, quo hoc in genere nullum
 exactius prodiit, opus *de Cruce* nuncu-
 pavit, atque usque ad obitum suum an-
 tiquitatum Historiam publice Lovanii
 tradidit, ubi Albertus Archidux & Isa-
 bella ejus conjux sæpius eundem, præ-
 cipue cum semel Panegyrim Trajano
 dictam interpretaretur, audire dignati
 sunt: suum erga Beatissimam Virginem
 pietatis studium specialiter enituit, dum
 librum de Historia & miraculis Beatæ
 Virginis Halensis, atque alium de pro-
 digiis B. V. Sichemensis conscripserat,
 ac primæ argenteam plumam, alteri
 togam suam optimam pellibus suffultam
 dono dederat, quo tamen pietatis ob-
 sequio Protestantium irrisiones, mor-
 daces linguas & calamos effugere haud
 poterat; quippe mox Petrus Denaisius
 anno Salutis nostræ millesimo sexcen-
 tesimo quinto librum sub titulo *de Idolo
 Hallensi*, & Georgius Thomson Scotus
 anno sequenti alium *de Idolo Sichemensi*
 injuriis, convitiis & scurrilitatibus ple-
 num Lugduni edebant, quos tamen
 petulantes irrisores Lipsius potius con-
 temptu, quam calamo refellendos cen-
 suit,

Sæc. XVII. fuit, parvo duntaxat libello, qui *R. A. C. 1606. jectiuncula* nominatur, honorem suum vendicans. Anastasius tamen Cochletius Carmelita Denaisium edito libro sub titulo: *Palæstrita honoris Divæ Virginis Hallensis pro Justo Lipsio, & Claudius Dosqueius Thomsonum*, sua lucubratione, *scutum B. Virginis Sichmensis* inscripta confutarunt. Uterque liber Anverpianis literis, & quidem prior anno millesimo sexcentesimo septimo, postremus autem nono post anno prodidit. Tandem die decima quinta Martii Febr. correptus, cum mortem sibi instare anno præfagiret, expiata conscientia, Sacrisque ritu Christiano susceptis Lovanii anno ætatis suæ quinquagesimo nono die vigesima tertia ejusdem Mensis inter teneros Christi Crucifixi amplexu tanta animi constantia & tranquillitate animam Deo reddidit, ut non scripto modo, sed & facto se Philosophum Christianum comprobaret. Elatus est ad Ecclesiam Franciscanorum humeris veluti universæ Academiæ, certantibus inter se Academicis, quis eorum posterum hoc Præceptori suo meritissimum obsequium præstare posset: Defuncto parentabat Gerardus Corselius Juris utriusque Doctor ac Lipsii Prædecessor eleganti ac diserta oratione, quam Balduinus in suo Chronico recitat. Bibliothecam

Baldwin. in
Chron. mo-
val. p. 956.

thecam Guilielmo Græfio Nepoti suo, Sæc. XVII.
 Græcos manūque exaratos Codices A. C. 1606.
 Lovaniensibus Jesuitis, flores atque ar-
 busculos Wiringo & Blylenio vigilum
 Præfecto, numismata denique Vilenio
 & Woverio antiquitatum peritissimis
 reliquit. Observandum denique, quod
 Lipsius in suo libro de miraculis B. V.
 in Aspricolle seu Sichemensi non pauca
 ex libro Joannis Miræi Antverpiensis
 Episcopi de beneficiis B. V. M. in Aspri-
 colle edito deprompserit.

§. XLVIII.

*Ejusdem Scriptoris opera atque de
 illis, eorumque stylo judicium.*

Dederat se Justus Lipsius potissimum Dupin. l. c.
 scientiis Politicis atque Ethicis, Valer. Andr.
 quocirca inter copiosissima ingenii sui in Bibl. Belg.
 monumenta sex majoris formæ volumi-
 nibus comprehensa, atque Amsteloda-
 mi, & postea Antverpiæ impressa repe-
 riuntur pauca de rebus Ecclesiasticis
 tractantia, ex quibus tamen præter jam
 recensita ceteris palmam eripiunt ejus-
 dem libri tres *de Cruce*: Præterea scri-
 psit I. libros duos de constantia. II.
 Manuductionem ad Stoicam Philoso-
 phiam. III. Physiologiam Stoicorum.
 IV. Disputationem pro loco de terra
 pretiosa. V. Centurias ad Belgas, Ger-
 ma-

Hist. Eccles. Tom. LIV.

I

ma-

Sæc. XVII. manos, & Gallos. VI. Varias episto-
 las. VII. Dialogum de recta pronun-
 tiatione linguæ latinæ. VIII. Libros
 quinque antiquarum lectionum. IX.
 Satyram Menippeam, qua Criticorum,
 qui ambitione ducti iudicium de alio-
 rum scriptis ferre audent, audaciam
 labefactare ac infringere conabatur. X.
 Commentarios in Plinii Panegyri, &
 Polybium. XI. Libros sex civilis do-
 ctrinæ, Monita & exempla Politica, leges
 regias & Decemvirales, in quibus libri
 Politicis Lipsius affirmabat, quod Prin-
 ceps nonnisi unam Religionem in sua
 ditione toleraret, hæreticos vero ferro
 & igne infectaretur; cum vero eum
 Cornhertus impugnaret, Lipsius eidem
 respondit edito libello *de una Religione
 adversus Dialogistam*, ubi hæc verba
ure, seca temperans declarabat, ea ni-
 nisi phrasin esse a Medicina mutuata,
 qua non obvio verborum sensu *ferrum
 & ignis*, sed remedium violentum in-
 telligitur. Scripsit adhuc quam pluri-
 ma alia, quæ figillatim recenset Vale-
 rius Andreas in sua Bibliotheca Belgica.

Ceterum non pauci, atque inter eos
 præcipue Henricus Stephanus in suo
 libro *de Lipsii Latinitate* hujus Scriptoris
 stylum carpunt, eo quod novum quid
 verbis inops, sæpius incidens, nimis
 que concisum dicendi genus affectasset
 quo

quo tamen interdum orationem suam Sæc. XVII.
 fat obscuram reddidisset, indeque fa- A. C. 1606.
 ctum, ut purioris latinitatis cultoribus
 dictio minus probetur: non deerant ta-
 men, qui hanc scribendi rationem Ci-
 ceronianæ dictioni præferrent, a vide-
 que confectari studerent; quamvis potis-
 simi cunctos doctrinæ atque eruditionis
 nervos, qui in hoc stylo erant, quique in
 ejus operibus haud ingrati sunt, imi-
 tando non assequerentur, hinc ipsemet
 Lipsius id animadvertens, auctor suis
 Auditoribus erat, ut hac una in re ab
 ipsius imitatione se abstraherent, tota-
 que mente Ciceronem intuerentur.

§. XLIX.

Renati Chopini fatum.

Inter Ecclesiasticos Scriptores pariter Le Long.
 sibi locum vindicare videtur Rena- Bibl. hist.
 tus Chopinus Belgioli in Andegavensi Maine Bibl.
 Ducatu anno restauratæ Salutis mille- France.
 simo quingentesimo trigesimo septimo
 natus. Hic celeberrimus ævi sui Caus-
 fidicus longo admodum tempore in Pa-
 risiensi Senatu forenses causas agebat,
 in gravissimis Regni negotiis consultus:
 Cardinalis quoque Borbonii jura strenue
 tuebatur, acerrimus *Ligæ* defensor, ac
 Vir ingenii acie, eruditionis amplitu-
 dine, & memoriæ felicitate celeberrimus:

Sæc. XVII. mus: suorum municipum consuetudines
 A. C. 1606. commentario de Andium legibus municipibus, & alio de civilibus Parisinorum municipibus, ac demum Franciæ jura edito libro, cui titulus *de Domino Franciæ* ampliori ac sæcundiori stylo quam Molinæus illustrabat, tanto nominis fuisset applausu, ut Henricus III. ei in laboribus præmium præter mille aureos, ut vocant, Solares etiam Nobilitatis diploma concederet. Demum ad ea, quæ pietatem propius accedunt, studia conversus, juris Pontificii, Sacerdotiorumque litibus explicandis totum se sacrabat, hancque in rem opus elucubravit *sacram Politiam* nuncupatum. Tandem novissimus illius labor erat suum *Monasticon seu de Jure Cœnobitarum*, in quo opere veterem Monasticæ vitæ disciplinam collapsam deplorat, nostri ævo salutem castigat, & restaurandæ methodum præscribit, ac ferme cujuslibet Ordinis & cœnobii elogium, diplomata, immunitates, ortus, progressus, Conditores eorumque Benefactores recenset. Præter hæc scripsit quamplurimos alios tractatus, qui una omnes latino idiomate in sex voluminibus collecti exstant. Ceterum stylo usus est admodum implexus atque obscuro. Obiit Parisiis die trigesima Januarii anno ætatis suæ sexagesimo nono nondum expleto.

S. L.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. L.

*Joannis Baptistæ Corradi Domini-
cani mors.*

Luxit pariter Sacer FF. Prædicatorum *Script. Ord.*
Ordo jacturam Patris Joannis Ba- *Proed. t. 2.*
ptistæ Corradi, qui Perusius nobili ge- *Jacobill.*
nere natus emenso literarum politiorum *Bibl. Um-*
curriculo Sacræ Theologiæ Magister *bria.*
creabatur, quam etiam apud suos plu-
ribus annis summa cum laude profes-
sus est, demum gradu ad Canonicæ ju-
risprudentiæ adyta factò enodandis con-
scientiæ casibus totum se dedit, de qui-
bus conscripsit *responsa ad cujuscunque pe-*
ne generis casus necnon quadringenta quæ-
sita pro examinandis, qui ad curam ani-
marum promoventur. Edidit quoque tra-
ctatum de indulgentiis, necnon alium de
suspensione ac denique libellum de Regu-
laribus in Confessarios deputandis. Tan-
dem hoc anno vivere desit plusquam
septuagenarius. Commendantur mo-
ralia hujus Scriptoris opera, eoquod
in opinionum selectu mediam inter la-
xas ac rigidas viam ingressus esset.

§. LI.

Marcus Antonius de Camos mortuus.

I 3

Inter

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

*Anton. Bibl.
Hisp.*

Inter Hispaniæ Scriptorum, qui hoc sæculo floruerunt, apud Literatos desiderium reliquerat Marcus Antonius de Camos natione Hispanus, patri Barcinonensis. Hic anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragésimo tertio in lucem editus ingenium ad Togam & Sagam aptissimum sortitus est, ac postquam triginta octo omnino annos tam in bellicis quam forensibus negotiis & muneribus consuevit, tandem uxore sua orbatus Sacra militiæ nomen dare constituit, atque institutum Fratrum Eremitarum Sancti Augustini professus adeo sedulam Theologiæ operam navabat, ut Doctoris Laureæ decoraretur: postmodum aucta meritorum copia ad Tranensem Neapolitani Regni Episcopatum nominatus est, cuius tamen Regimen nimis intemptiva morte præpeditus suscipere haud poterat: Decessit enim Neapoli anno ætatis suæ sexagesimo tertio. Hunc fuisse Virum Zelo Apostolico ac doctrina Evangelica insignem testantur duo illius libri, quorum primus *Institutio de vita honesta & Christiana*, alter *Microcosmus seu Universalis Gubernatio hominis Christiani* inscribitur.

§. LII.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.*Reginaldi Belnensis Archiepiscopi Senonensis decessus.*

Hoc item anno Reginaldus Belnensis *Thuan. hist. lib. 136.*
de Rege & nomine Gallico optime
meritam animam Deo placidissime red-
didit pene octogenarius. Hic Vir solo
ferme meritorum suffragio selectus Regi
a consiliis erat, postea Curix Parisien-
sis Præses ac Cancellarius, tandem Se-
nonensis Archipræsul renuntiabatur:
Calamitosa *Ligæ*, ut vocabant, tempore
ita quidem Religionis augmentum, &
Cleri jura tuebatur, ut nunquam ta-
mena Regiis partibus constans ejus sub-
missio, ac submissa constantia avelli po-
tuerit; dicere enim solitus erat, Reli-
gioni nisi salva Republica, consuli non
posse, nec vicissim salvam Rempublicam
servari posse, nisi legitima successione
servata: Ea vox tum quidem paucis ar-
ridebat, ac propterea, qui sublimiore
dignitate esset dignissimus, ab ea sem-
per exclusus fuit. Hujus tamen spiri-
tus scintillæ emicant in sua sententia
pro Clero Gallicano præsentente Henrico
III. Rege pronuntiata. Scripsit etiam
sermonem in exequiis Cardinalis de Bi-
rague, necnon aliam orationem fune-
brem mortuo Andegavensi Duce.

I 4

Eodem

Sæc. XVII.

A. C. 1606.

Eodem anno die quarta Maji obiit Petrus Garfias Gallazza Bellanensis, Episcopus Cauriensis in Hispania, qui scripsit octo libros *Evangelicarum Institutionum* & tractatum de *clausura Monialium*. His accedunt Deganhardus de Dumeta & Simon Coalho ambo Carmelitæ, quorum prior edidit commentarios in Libros IV. Sententiarum, alter vero historiam Provinciæ Lusitanæ Carmelitarum, tractatum de vita activa & contemplativa & commentaria in Regulam Carmelitanam præter Apologiam pro Carmelitis. Sub idem tempus decessit Nicolaus Orlandinus Jesuita Author primæ partis Historiæ Societatis

§. LIII.

Moelleri & Rhodmani obitus.

*Grossers
Lausitz me-
mor. Germ.
Baillet ju-
gem. des
Scavans.*

EX Protestantibus, qui hoc anno obierunt, paucos duntaxat recensere operæ pretium est, ex his primo emittitur Martinus Moellerus anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo septimo Kropstadii prope Wittembergam natus: Hic tenuis admodum fortunæ Parentes, atque agresti laboris victum sibi comparantes habuit, unde minus liberaliter educatus non nisi benevolorum munificentia & proprii meriti ope vitam sustentare, ingeniumque bonis

bonis artibus literisque Wittembergæ Sæc. XVII.
A. C. 1606.
 excolere cogebatur. Tantos tamen fe-
 cerat profectus, ut ob scientiæ & pro-
 bitatis laudem dignus judicaretur, qui
 Leopoli Cantoris, Koffelsdorffii Pastro-
 ris munere fungeretur, postea Leopo-
 liensis Diaconus, ac demum Görliziæ, Quanstadt
de Patr.
Ill. Vir.
 ut vocant, Primicerius nominatus. Hic
 idem postremis vitæ suæ annis oculo-
 rum usum amisit, nec tamen propterea
 officium suum, ex quo sibi victum com-
 paraverat, dimittere voluit, sed con-
 cionaturus sibi ab obvio quovis textus
 quosdam prælegi curavit, desuper verba
 facturus: tandem die secunda Martii
 annos natus quinquaginta novem cal-
 culi dolore confectus, Görliziæ animam
 exhallabat: Edidit *Schedam Regiam*;
 pariterque Epistolas Divi Ignatii & Dia-
 logos Theodreti ex Græco idiomate
 latine reddidit: ex suo autem calamo
 profluxere *meditationes Patrum, solilo-
 quia de Passione Domini, Natalitia Christi,
 Manuale morientium, mysterium magnum
 & Thesaurus precationum præter praxin
 suam Evangeliorum.* Alter erat Lauren-
 tius Rhodomanus, qui Saxenwursiæ
 Stollbergensis Comitatus oppido anno
 Salutis nostræ millesimo quingentesimo
 quadragesimo sexto natus studiorum
 causa plures peragrabat Regiones, tan-
 dem Jenæ Græci idiomatis & Wittem-
 bergæ

Sæc. XVII. bergæ eruditionis Historicæ Professa
 A. C. 1606. nominatus, die octava Januarii natura
 debitum solvit. Varia argumenta carmine tam latino quam Græco pertractabat ex quibus præcipue celebrantur tyronia Christianæ Theologiæ, historia Ecclesiæ seu populi Dei, politiæ ejusdem & rerum præcipuarum, quæ in illo populo acciderunt, libri novem Palæstrinæ seu historiæ Sacræ, & historia vitæ & doctrinæ Lutheri præter alia quam plurima ejusdem generis carmina.

§. LIV.

Usus orationis quadraginta horarum ante Quadragesimam a Paulo V. confirmatus, auditusque.

Thyers l. 4.

cap. 17.

Lambert.

Card. Vol. I.

notif. 14.

Scripta. Soc.

de var. Reb.

Referunt nonnulli, quod jam ante Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto Franciscus II. Mediolanensis Dux in memoriam quadraginta horarum, quibus Christus Dominus in sepulchro jacuit, hortante Bono Cremonensi quadraginta horarum supplicationem coram exposito Sanctissimo habere præceperit, non desunt tamen, qui hujus consuetudinis originem P. Josepho Mediolanensi Capuccino in acceptis referendam censeant: ut ut sit, certum tamen est, quod Clemens VIII. plenæ remissionis gratia iis, qui saltem per

unam horam orando in ejusmodi Templis Sæc. XVII.
perseveraverint, concessa, hunc usum A. C. 1606.
Romæ perpetuum in Ecclesiis haberi
mandarit, & Paulus V. die deci-
ma Maji anno 1606. has indulgentias
per commodum tempus orantibus indulse-
rit: Minus tamen certo constat tempus,
quo devotio quadraginta horarum tri-
bus ultimis Bachanalium diebus ante
diem cinerum fuerit introducta: Car-
dinalis Lambertinus, postea fel. Rec.
Benedictus XIV. Pontifex æterna me-
moriam dignissimus ex Annalibus colligit
hanc consuetudinem introductam fuisse
primum sæculo decimo sexto: nec id
in dubium vocare audemus: hæc ta-
men devotio nondum specialis Indul-
gentiæ gratia tum locupletata videtur;
exstat enim Epistola Claudii Aquavivæ
Societatis Præpositi Generalis, qui Ro-
ma die decima quarta Januarii hoc an-
no ad Superioris Germaniæ Provincia-
lem hæc perscripsit: Movit nos frequens
concurfus, quem in Ecclesiis nostris ad ora-
tionem quadraginta horarum, quæ triduo
ante quadragesimam institui solet, fieri au-
diebamus, ut Indulgentias aliquas a S. D.
Nostro, quas consequi per id tempus liceret,
postularem. Annuit ergo supplicationi
nostræ, & eas concessit, quas R. V. hoc
Brevi Apostolico comprehensas videbit. Quod
quidem ad ipsam propterea mitto, ut singula
exem-

Sec. XVII. *exemplaria in singula Provinciæ loca distri-*
A. C. 1607. *buat, ac primo quoque tempore, ne hujus*
anni fructus intercidat, perferenda curet &c.
 Ex his igitur literis colligi videtur, tum
 primum hanc devotionem ejusmodi
 Indulgentiis fuisse auctam, hasque in-
 dulgentias nonnisi Societati fuisse in
 ipsorum Templis concessas.

§. LV.

Actum de dissidio Papam inter & Ven-
etos componendo.

Hist. des
differends
entre le Pape
& la Republ.
l. 6. p. 301.
Calmet hist.
Eccles. de
Lorr. l. 32.
Supplem. alla
Istoria di
Venez.
Controv.
mem. inter
Paul. V.
& Ven.
Thuan. l. 137.
Ferreras
hist. Hisp.
tom. II.

Cum interim acriter circa dissidium
 Papam inter & Venetos libellis dis-
 ceptaretur, Principes quidam armis
 pro suo quisque affectu in alterutro
 partis opem parabant, cunctis compositæ
 dissensionis honorem sibi vindicare cer-
 tantibus. Præprimis Fontanus Comes
 Mediolani Prorex se in Pontificis au-
 xilium plusquam viginti Hispanorum
 millia in aciem educturum jactitabat.
 Vicissim Batavi ex Pontificis odio
 maritima Venetis, si periclitarentur
 subsidia promissere, quibus tamen a Se-
 natu actæ per literas gratiæ multa ve-
 borum comitate. Sollicitabant quoque
 Veneti Valdemontium Comitem Caroli
 Lotharingiæ Ducis Filium ac supremum
 Reipublicæ Belliducem, ut sex millia
 Gallorum & Germanorum conscriberet
 E con-

E contrario Pontifex, Albertus Archidux Austriae, & Maximilianus Bavariae Dux eundem a Reipublicae obsequio retrahere totis viribus nitebantur; quinimo Nancæi plures erant Nobiles Jesuitis addicti, qui collectis a se pecuniis duodecim aureorum millia Valdemontio annue assignare parabant, eo fine, ut is Venetorum stipendiis nuntium mitteret, quibus & ipse postea urgente ejus Patre fratribusque cessit. Interim Philippus III. Hispaniarum Rex Franciscum de Castro Venetias Legatum decreverat, eo consilio, ut si res ad pacem inclinaret, ipse Franciæ Regi compositi dissidii gloriam præriperet. Verum Henricus cognitis Hispanicæ Aulæ consiliis eo ardentius hoc negotium urgebat, quo magis prosperum rei exitum sibi ex proposito erga se Reipublicæ animo polliceri poterat; cum enim Florentiæ Dux missa ad Venetos Legatione Pontificis reconciliationem promitteret, dummodo causam Prælati & quatuor Cardinalibus a se feligendis dijudicandam permitterent, Veneti reponerent, quod causæ cognitionem Galliarum Regi vellent committere. Hoc comperto Henricus IV. Josam Cardinalem Venetias decernere statuit, qui etiam exeunte anno priori Ferrariam delatus, mox literas ad Burgesium

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

Sæc. XVII. gesium Cardinalem dabat, significans
 A. C. 1607. quod si Pontifici bene visum fuerit, pro
 componenda causa Venetias contendere paratus esset. Rescripsit ei Burghe-
 sius, rem cum Pontifice se communi-
 casse, hunc vero totum negotium ejus
 prudentiæ relinquere.

§. LVI.

*Colloquium Cardinalis Joyosæ cum
 Fraxineo Franciæ Oratore Ve-
 netiis habitum.*

Merc. Gallo Belg. tom. 6. lib. 2.
Daniel hist. de France tom. 10.
Thuan. hist. lib. 137.
Mem. secretes part. 6.
Epist. Card. Perron. die 21. Sept. 1606.

Accepto hoc responso Joyosa, ne qui-
 in se desiderari pateretur, statim
 Venetias profectus est, ruptaque omni
 mora Philippum Canaium Fraxineum
 qui Franciæ Regis Oratorem apud Ve-
 netos agebat, invisit, quo animo
 Senatus esset, ab eo percepturus. Præ-
 missis autem mutuis honorum signifi-
 cationibus Orator Cardinali hæc ex-
 posuit; „Senatus, ut authoritatem suam
 violari patiatur, nunquam adduci po-
 terit; Donatus insuper prudentissimus
 „Princeps Oratori Pontificio palam edi-
 „xit, quod Papa male de Venetorum
 „rebus instructus consilium sibi probro-
 „sum a suis suggestum secutus esset, cum
 „potius prudentiam & moderationem
 „Prædecessoris sui imitari debuisset, qui
 „cum

„cum minime ignoraret, quo Venetia
 „in re fuissent, nihil tamen acerbius
 „toto suo Pontificatu aggressus est, proin
 „Senatores potius vitam quam liberta-
 „tem ac jura Majorum amittere parati
 „forent. „ Sub idem tempus Alincur-
 tius datis Roma literis nuntiabat, quod
 Papam eo inclinasset, ut censuras suas
suspendere vellet, dummodo & Veneti
 legum suarum executionem pariter in
 suspenso tenere, ac decretum, quo Pa-
 pæ interdictum declararunt esse nullum,
 revocare intenderent: Hoc nuntio ani-
 matus Joyosa, die decima sexta Martii
 Senatum adiit, Pontificis mentem ex-
 ploraturus: Minus tamen hoc consi-
 lium arridebat Senatoribus, qui hac
 agendi ratione supremam suam aucto-
 ritatem labefactari, atque in alterius
 arbitrium reponi censebant: Franciæ
 tamen Legato declarabant, quod si Pa-
 pa suas censuras penitus *revocare* vel-
 let, etiam ipsi sua edicta revocare, nec
 non ambos Ecclesiasticos carcere deten-
 tos Franciæ Regi consignare haud re-
 nuerent. Hæc a Gallico Oratore edo-
 ctus Alincurtius Veneti Senatus consi-
 lium exposuit Pontifici, qui tamen non
 Regi, sed sibi captos Ecclesiasticos esse
 consignandos reposuit, eo quod per pro-
 fanam vim læsa immunitas non nisi re-
 stituto Ecclesiasticæ jurisdictionis usu
 repa-

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Sæc. XVII. reparari posset: tandem vero placitum
 A. C. 1607. factus hæc addidit: „si saltem Respu-
 blica unacum Rege meas censuras re-
 „vocari petiisset, atque duos hosce ca-
 „ptos non Regi sed Sacro Tribunali con-
 „signasset, tunc his dictis sermo-
 nem intercidit Pontifex, quantociens
 autem Orator eundem interpellatum
 subjunxit, „ si autem Senatus id faceret
 „num Sanctitati vestræ satisfactum esset:
 ad hæc vero duntaxat reposuit Papa
 notum mihi est, quod si Franciæ Rex se Ve-
 netis minus indulgentem præberet, hi brevis
 ad obsequium revocari possent.

§. LVII.

Franciæ Regis conatus pro reconcilianda utraque parte.

*Memoir.
 secret.
 part. 6.
 Fra Paolo
 Storia
 Part. 1. 5.*

Cognito hoc Pontificis responso Henricus Franciæ Rex Oratori suo mandatis dabat, ut Venetis exprobraret, quod sua tergiversatione utilia Regis consilia, atque obsequiosam, quæ illos ex periculosis anfractibus extricare conatus esset, sollicitudinem parare pendere viderentur, proin nisi Senatus circa concordiam modum mentem suam non vagis, uti hæctenus, sed disertis verbis Regi aperire voluerit, ipse hanc ultra operam suam apud summum Pontificem pro Republica impendere cogitaret.

gitet. Idem ferme Alincurtius Romæ Sæc. XVII.
 Paulo V. proponere jubebatur: Paulo A. C. 1607.
 post Fraxineus ad alloquium admissus,
 Senatui exposuit, quod acceptis Roma
 literis percepisset, quatenus Papa ex
 communi Purpuratorum consilio nun-
 quam censurarum executionem suspen-
 dere decreverit, nisi Respublica quod-
 dam submissionis officium prior præsti-
 tisset, necesse igitur foret, ut Senatus
 de ejusmodi submissionis modo delibe-
 raret, præcipue cum nec Reipublicæ
 dignitati nec patriæ libertati præjudi-
 caret, sese Pontifici, non tanquam Prin-
 cipi, sed velut supremo Ecclesiæ Capiti
 spirituale obsequium præstare. Ad hæc
 reposuit Senatus, quod si Rex de re-
 paranda injuria Reipublicæ illata, nec-
 non de revocandis censuris certus esset,
 Senatus gratum haberet, ut Rex suo
 ac Reipublicæ nomine pro ejusmodi re-
 vocatione Pontifici supplicaret. Hoc
 Senatus responso proximior videbatur
 utriusque partis concordia: quocirca
 Joyosa Cardinalis, ut bene cæptis in-
 silferet, mox Senatum adiit, atque im-
 minentia continuati dissidii pericula,
 præsentanea Reipublicæ damna, tur-
 batamque Italiæ, totiusque Europæ
 tranquillitatem, tam validis rationum
 momentis exposuit, ut inter Senatores
 conventum, decretumque esset, quod le-
 gum

Hist. Eccles. Tom. LIV.

K.

gum

Sæc. XVII. gum contra Clerum sancitarum execu-
A. C. 1607. tio, donec amica utrinque desuper
 compositio fieret, suspenderetur, amb
 captivi Sacerdotes Pontificis Delegati
 traderentur, atque edicta contra Inter-
 dictum promulgata revocarentur, Re-
 ligiosis etiam, qui e ditione Veneta e-
 migrarunt, in integrum restituti. Vi-
 cissim vero Pontifex Interdictum abo-
 leret, eodemque tempore, quo Joyosa
 Cardinalis & Alincurtius hosce con-
 cordiæ articulos Pontifici consignave-
 rint, hic Joyosæ Cardinali diploma de
 revocando interdicto simul committeret.

§. LVIII.

*Joyosa Cardinalis pro inclinando
 Pontifice Romam profectus.*

F. Paolo
Istoria l. 6.
lib. 7.
Merc. Gallo-
belg. tom. 6.
lib. 2.
Daniel hist.
de France
tom. 15.
Thuan. l. 137.

Prospero hoc negotiationis suæ suc-
 cessu lætissimus Joyosa Cardinalis
 die vigesima quarta Martii Romam con-
 tendit de Venetorum decreto Pontifi-
 cem edocturus. Hujus adventu Ro-
 mana Curia haud parum concitabatur
 ac unusquisque prout affectus erat, suum
 desuper judicium ferebat, quibusdam
 reconciliationem anhellantibus, aliis
 eandem abhorrentibus: ipse quoque
 Pontifex primis diebus inter concordie
 desiderium, & imminuendæ Majestatis
 suæ formidinem fluctuabat. Eodem
 autem

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

autem, quo Cardinalis advenerat, die Baronius & Perronius Cardinales Papam rogabant, ut Joyosam benigne exciperet, & concordiae conditiones a Franciæ Rege propositas grato animo acceptaret. Postridie Joyosa ad Pontificis alloquium admissus, quid post acres disceptationes, multasque difficultates superatas tandem Henrici IV. opera cum Venetis transactum esset, pluribus exposuit: cum vero sermonem de Jesuitarum revocatione inspergere oporteret, ex Alincurtii & Gallorum Cardinalium consilio, dissimulatione utendum ratus agebat, quod eorum restitutio oppido difficilis, non tamen omnino desperata foret, ac ipsemet opportunum excogitasset medium, quod, si suæ Sanctitati bene visum fuerit, ceteris semel complanatis expositurus esset.

§. LIX.

Gravis in perficiendo negotio difficultas ob Jesuitarum revocationem suborta.

Totam noctem Pontifex inter recurrentes vigiles curas insomnem ducebat, ac orta vix luce Joyosam & Alincurtium ad se accersiri jubens revocandæ Societatis rationem sibi exponi petebat. Cardinalis itaque hunc in modum

K 2

dum

Sæc. XVII. dum exorsus est. „Jesuitarum revoca-
A. C. 1607. „tio, ut per speciale pactum obtinere
 „tur, sperari haud valet, si tamen Sas-
 „ctitas sua diploma de revocando inter-
 „dicto fidei meæ committere voluerit
 „quamprimum illud Venetis, qui paci-
 „avidissimi sunt, exhibiturus sum, mo-
 „subjungam, quod illud, nisi Jesuitis in-
 „integrum restituis, exequi haud ve-
 „leam, spe igitur fretus sum, quod Ve-
 „neti, cum ad tollenda tot mala in-
 „nisi hanc unicam conditionem deside-
 „rari viderint, in eam facile consensur-
 „essent.„ Hoc Joyosæ consilium dis-
 „plicuit Pontifici, qui hoc unum desi-
 „natum habebat, cum Venetis non tran-
 „sigure, nisi impetrata prius Jesuitarum re-
 „stitutione; „meo enim, inquebat, de-
 „rogarem honori, si Jesuitas non alian-
 „ob causam, quam ob præstitam militi-
 „obedientiam expulsos dereliquerem
 „ipsis quoque meam de hac revocatione
 „fidem obstrinxi, sique ob duos Sacet-
 „dotes carceri mancipatos omnes
 „meam impendi auctoritatem, indi-
 „gnum foret, si integrum Ordinem pro-
 „scribi tolerarem. Volo itaque ac jubeo
 „ut hi, antequam operi manus admo-
 „veatur, integre restituantur: si vero
 „Veneti contra illos quasdam habeant
 „querelas; eas servato juris Ordine in-
 „stituant.„ Hoc responso attonitus
 Joyosa

Joyosa, Perronium Cardinalem roga- Sæc. XVII.
 bat, ut Pontificis animum mitigare fa- A. C. 1607.
 tageret.

§. LX.

*Perronii Cardinalis consilium de su-
 peranda hac difficultate.*

Igitur Perronius Cardinalis ea, qua Thuan.
 valebat, auctoritate Papam his ver- lib. 137.
 bis alloquebatur: „Indignum est, ut FraPaolol. 7.
 „ob unius Jesuiticæ Sodalitatis utilita- pag. 395.
 „tem totius Christiani corporis salus in
 „summum discrimen adducatur, præci-
 „pue cum illius restitutio non tam ne-
 „getur, quam in aliud tempus rejicia-
 „tur: in eo potius laborandum, ut præ
 „ceteris Pontificia auctoritas Venetiis
 „restituatur, hoc impetrato facile ob-
 „tineri poterit, ut Jesuitæ in hac di-
 „tione pristinum locum recuperent:
 „Porro deberet sua Sanctitas pruden-
 „tia sua introspicere, quod in eodem
 „státu res nunc concurrant, in quo tunc
 „erant, cum Leo X. in Germania, Cle-
 „mens VII. in Anglia Religionis caus-
 „sam perdidit, in quo erant, cum nu-
 „per Clemens VIII. eandem salvam in
 „Franciæ Regno servavit. Jam in ar-
 „bitrio Sanctitatis vestræ est, nunc al-
 „terutrum in Italia efficere, rejectis aut
 „acceptis, quæ a Franciæ Rege pro-
 positæ

Sæc. XVII. „positæ sunt, conditionibus: certum
A. C. 1607. „autem est, quod Sanctitas sua per vi-
 „ginti annorum bella, immensos sum-
 „ptus, & sanguinem humanum totidem
 „præliis effusum, necnon per tot casus
 „& belli pericula id consequi haud po-
 „terit, quod jam nunc citra sudorem
 „& cruorem ultro offertur: Ceterum
 „ea optima & sanctissima fiducia est,
 „quæ a causæ justitia sumitur: Deus
 „vero mandavit discipulis, ut ad sim-
 „plicitatem etiam prudentiam adjunge-
 „rent. Clementis VII. causa contra
 „Henricum VIII. Angliæ Regem justis-
 „sima fuit, necnon Leonis X. adversus
 „Germanos, neque tamen æquitati e-
 „ventus respondit, & utrobique Religio
 „summe labefactata fuit: nemini vero
 „notum est, an non Deus Catholicam
 „Religionem in Italia, & in Nobiliori
 „Europæ parte opprimi sit passurus,
 „sicut in Africa & Asia accidit, ut in-
 „de ad Indias transferatur. Nisi ergo
 „occasione utatur Sanctitas sua, non
 „unum, sed viginti ex uno bello peror-
 „bem sunt exoritura, iisque se sectarii
 „Germani rebus turbatis immiscebunt,
 „tunc erumpent cæca, quæ in visceri-
 „bus latent, ulcera, contagione per-
 „totum corpus grassatura: dein eve-
 „niet, ut sua Sanctitas hinc inter Se-
 „ctarios, inde inter Hispanos, qui se
 „pro

„pro auxiliariis venditabunt, miser- Sæc. XVII.
 „rime & periculossime conflictetur: A. C. 1607.
 „nec decent bella Sacerdotalem pieta-
 „tem: minus igitur prudenter faciet
 „Sanctitas sua, si, cum de ceteris con-
 „venit, duntaxat Jesuitarum studio se
 „tantis angustiis & damnosis difficulta-
 „tibus involvat. Eadem obstacula sese
 „offerebant, cum Clemens VIII. de
 „Franciæ Regis reconciliatione egit,
 „ipse tamen, quamvis articulum de re-
 „vocandis Jesuitis summopere cordi ha-
 „buisset, ab eo destitit, sola contentus
 „spe, quod progressu temporis id, quod
 „tum impossibile videbatur, obtenturus
 „sit: Tandem vero post multos ultro
 citroque non sine altercatione habitos
 sermones Pontifex indulgit, ut Joyosa
 interim pro revocandis Jesuitis, quan-
 tum fieri posset, apud Venetos ageret,
 si qua eorum restitutio nunc obtineri
 non posset, saltem aliqua apponeretur
 clausula, qua minime eorum causa ne-
 glecta videretur.

§. LXI.

*Veneti Senatus oppositio contra Je-
suitarum revocationem.*

Accepto hoc Pontificis responso Joyosa *Fra Paolo*
 Cardinalis mox Venetias concessit, l. 3. p. 335.
 qui etiam ad Senatum admissus expo-
 suit,

Sæc. XVII. fuit, quod Pontifex Rempublicam pa-
A. C. 1607. ctis utrinque conditionibus in gratiam

*Daniel hist.
de France a
l'an 1607.*

Thuan. l. 137.

recipere paratus sit, ea tamen lege, ut
Jesuitæ in pristinum statum revocaren-
tur: Ad hæc reposuit Dux: Jesuitæ
non fuerunt ejecti, sed ipsimet ultra
abire maluerunt, quam Principi suo
obedire: postquam vero absentes Rem-
publicam privatis & publicis convitiis
machinationibus, insidiis & seditio-
nibus proscindere non dubitarunt, Se-
natus communi omnium suffragio il-
los tanquam Reipublicæ pacisque ho-
stes perpetuo multavit exilio. His
dictis Senatores, ut inquit P. Daniel
Jesuita, contra Societatem in medium
proferebant atrocissima quæque ab hæreticis,
ceterisque hujus Societatis hostibus jam
toties divulgata. Agebant enim, quod
Patres & Mariti non pauci conquesti
essent, instigantibus Jesuitis sibi solita
obsequia a filiis & uxoribus non præ-
stari: literæ etiam cujusdam Jesuitæ
fuerint interceptæ, quibus Pontificem
certiorem reddiderat, in urbe trecentos
præcipuæ nobilitatis juvenes, totidem,
quicquid juberet, suæ Sanctitatis mancipia,
inveniri: Hi quoque pergebant illi, secreta familiarum
remanantur bona ac facultates, proinde totius
Imperii robur, viresque perspectas habent,
cientelas cujusque cognoscunt.

„scunt, ea de re commentarios confi-
 „ciunt, & singulis sex mensibus per
 „Visitatores suos ad Generalem suum
 „mittunt. Bergomi & Patavii festi-
 „nato eorum discessu multæ chartæ sunt
 „repertæ, quibus ejus rei fides fit. In
 „suis sermonibus ad populum traduce-
 „bant Rempublicam, tanquam hære-
 „ticam, Lutheranam, tyrannicam, &
 „abominabilem: Monarchicum quoque
 „Regimen in suis Scholis studiose ex-
 „tollebant, ut Aristocraticum redde-
 „rent infensum: exstiterunt quoque
 „auctores, atque instrumenta omnium
 „tumultuum, seditionum, & damno-
 „rum, quæ Reipublicæ fuerunt illata:
 „Moscoviam intruso Demetrio turba-
 „runt, repetitis toties conjurationibus
 „Elisabetham ad trucidandos tot Ca-
 „tholicos in Anglia impulerunt, Heno-
 „ticam factionem in Galliis ad Regni
 „perniciem excitarunt, variasque alias
 „Regiones perniciosissimis consiliis per-
 „turbarunt: Guilielmum quoque Ba-
 „variæ Ducem sensim quasi omni re
 „spoliarunt, non sine ipsius populi fre-
 „mitu. Monarchiam in Ecclesia Ca-
 „tholica moliuntur, etiam Pontificis
 „potentiæ, si occasio ferat, imponere
 „parati, ut eam Pontifici ablatam in se
 „transferant. Gregorio XIII. optimo
 „seni tota vita imposuerunt, emuncto-
 „que

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Sæc. XVII. „que ejus marsupio ex tot beneficiis
A. C. 1607. „ridiculo legationis Japonicæ chorag
 „morienti illuserunt: pari impudenti
 „Clementi VIII. operam suam vendit
 „runt, mentione injecta de Sylvestro
 „Aldobrandino in Bosniæ Regem creat
 „do: in Religione etiam tanquam pe
 „riculosi novatores nuper pernicios
 „disputationes de gratia cum Domini
 „canis instituerunt: nuper etiam ter
 „tarunt, ut Confessiones & absolutio
 „nes per epistolas fierent: Moniti etiam
 „addebat alius, ab aliis fumus, u
 „deinceps Societatis mores, doctrinam
 „& conversationem diligenter inspicie
 „mus, habent enim in hac Societate
 „omnium vitiorum genera patrocini
 „& excusationem: habent avari, qui
 „se tueri possint, quo sine ullo conscien
 „tiæ morfu spiritualia bona nundinen
 „tur, apud supersticiosos imaginis osculo
 „omnium virtutum christianarum exco
 „citatio suppletur: gloriæ cupidis, qui
 „bus ob fortunæ humilitatem, nisi pe
 „scelera non licet innotescere, quælibet
 „bet scelera sanctitatis tegmine velare
 „licet. Itaque non mirum, quod tan
 „tos progressus ea doctrina faciat, mult
 „tosque fautores habeat, quæ plurimum
 „vitiis & cupiditatibus deservit., Hæc
 „& plura alia in odium Societatis fuerunt
 prolata, præ ceteris vero displicebat
 Vene-

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

Venetis, quod quidam Jesuita in pom-
pam, qua Parmæ Dux Nobilis cujus-
dam Puellæ Nuptias adornabat, impo-
tentius invehens, dixisset, quod hi sum-
ptus melius in Pontificis auxilium con-
tra Venetos erogari potuissent. Præterea
vel maxime Senatorum animos exacer-
babat, quod Jesuitæ pueros in Scholis,
atque adolescentes in Republica sensim
ab obsequio alienarint, unde animad-
versum, quod illo abhinc tempore, quo
Jesuitæ Venetiis domicilium fixerunt,
Candidati ad Magistratus munia aspi-
rantes haud amplius, ut olim, sese Se-
natoribus commendarint, sed consue-
tum hoc obedientiæ obsequium inter-
mittentes per prensationes & secretas
factiones non sine magno Senatus con-
temptu & Reipublicæ periculo ad digni-
tatum fastigia ascendere edocti fuerint:
Eapropter jam tum in Decemvirum
confessu stabilitum, ut si concordia cum
Pontifice iniretur, Jesuitarum restitutio
a pacis negotio separaretur, hacquera-
tione, si in ceteris Pontifici obtempe-
rarent, saltem in hoc vincerent: Pro-
bationes etiam de aliis criminibus con-
tra Jesuitas eo fine instructas ostende-
bant, ut se ob denegatam illorum re-
vocationem apud Papam excusare, eos-
que, quos belli jam accensî authores,
novamque dissensionum incentores no-
verant,

Sæc. XVII. verant, intra Reipublicæ viscera habent
 A. C. 1607. non cogentur.

Quamvis Joyosa Cardinalis quam
 plurima potius exacerbati animi impetu
 congesta nosset, ex his tamen haud ob-
 scure collegerat, quod Senatum ad Je-
 suitarum restitutionem incassum sollici-
 taret, quocirca huic articulo super-
 dendum ratus Romam reversus est.

§. LXII.

*Aliae difficultates coram Papa com-
 planatae.*

*Daniel Es
 Thuan. l. c.
 Fra Paolo
 l. c.*

Interim Romæ in removendis ceteris
 concordiae obstaculis defudatum est
 nova enim oriebatur difficultas circa
 locum, ubi censurarum revocatio fieret
 Pontifex enim illam Romæ, Venetis
 vero Venetiis promulgari petebant
 utraque tamen contendentium pars
 concordiam revocata est, ea lege,
 Alincurtius a Papa censurarum revo-
 cationem Romæ, Fraxineus vero Ve-
 netiis peteret. Rursus Hispani Car-
 nales contendebant, quod ad Sanctita-
 tis suæ dignitatem pertineret, ut Ep-
 scopi, qui interdictione non obtemperarunt
 in absolutionis gratia non comprehendi
 intelligantur, sed eam ab ipso Papa Ro-
 mam accedentes petere teneantur. Ve-
 rum ad Perronii Cardinalis oppositionem
 Papa

Papa assensit, ut Joyosa Cardinalis Epi-^{Sæc. XVII.}
scopos hosce centuris solvere posset: A. C. 1607.
Præterea Pontifici falso rumore fuerat
insinuatum, quod Veneti captivos Sa-
cerdotes consignare nollent, nisi facta
prius *protestatione*: Hanc ob causam to-
tum pacis negotium fuisset dissolutum,
nisi Perronius Cardinalis Pontifici pro-
posuisset, quod si transactio hanc ob
causam dissolvenda foret, Pontificiæ
dignitati magis consonum videretur, si
ea pacis dissolutio Venetiis fieret; tunc
enim illa ab omnibus adscriberetur Vene-
tis, secus vero attribueretur Pontificis
pertinaciæ. Huic Cardinalis rationi
acquievit Pontifex: mox vero Hispani
petebant, ut Cardinalis Zapata Joyosæ
comes ac socius in exequendo Pontifi-
cis diplomate adjungeretur: obstitit ta-
men vehementer Joyosa, palam pro-
fessus, quod potius a toto negotio de-
sistere, quam alium in partem laboris
tanto suo incommodo confecti admit-
tere vellet. His igitur omnibus supe-
ratis difficultatibus Joyosa Cardinalis
jamjam Venetias cum diplomate reverti
parabat, cum Pontifex eodem tempo-
ris momento literas acciperet, in qui-
bus Franciscus de Castro Hispani Regis
Orator eidem significabat, quod si ar-
ticulo de Jesuitarum revocationi im-
motus insistere vellet, absdubio a Venetis
consen-

Sæc. XVII. consensum obtenturus esset: Perleſti
A. C. 1607. hac epistola mox Pontifex Joyosæ ne-
 gotium dabat, ut hanc causſam denuo
 urgeret, simulque Venetiarum Duci de-
 clararet, quod secluso hoc articulo totum
 concordia negotium in irritum caderet:
 verum Perronius mox labantem Pon-
 tificis animum denuo ad firma paci-
 consilia erexerat, id tamen Hispani
 conspirante ipſo Donato Veneto Duce
 a Pontifice impetrarunt, ut in Philippo
 Regis gratiam, Pontifex Jesuitarum re-
 vocationem in concordia pactis omitti
 concederet: Quinimo ipſemet Francia
 Rex hunc articulum sat remiſſe urgens
 videbatur; quippe inter cetera, quae
 Campignio Oratori Venetias decreta
 dederat, mandata nullam de eorum re-
 stitutione mentionem fecerat, dumtaxat
 injungens, ut a Senatu obtineretur
 niteretur, quatenus Ecclesia Collegia
 & Jesuitarum bona, utpote Ecclesia-
 stica, a Nuntio Pontificio administra-
 rentur, praecipue cum Respublica non
 bonis hisce, sed Jesuitis bellum dixisset.

§. LXIII.

*Venetorum Respublica a censuris &
 interdito soluta.*

*Thuan. l. 137.
 Merc. Gallo-
 belg. t. 6. l. 2.* Sublatis igitur omnibus obstaculis so-
 lus Joyosa Cardinalis Roma unacum
 diplomate Pontificio Venetias contem-
 dit,

dit, ac die decima Aprilis Curiam in-
 gressus, quid apud Pontificem egisset,
 pereleganti oratione Senatoribus ex-
 posuit, subjungens, interdictum non
 revocatum iri, nisi Jesuitæ restitueren-
 tur. „Ad hæc Venetus Dux subridens
 „Cardinali reposuit, supervacaneum est
 „hanc rem urgere; sat notum enim est
 „mihi, quod Pontifex, ut Hispaniæ Re-
 „gem sibi demereretur, hunc articulum
 „urgere destiterit.„ Accepto hoc respon-
 so Cardinalis pacis articulos Pontifi-
 cis manu firmatos protulit, quorum
 hi potissimi erant. I. Ut ambo Sa-
 cerdotes captivi consignentur *absque*
protestatione. II. Religiosi ditio-
 ne dilapsi revocentur, restitutis eorum bonis.
 III. Revocetur decretum, interdicto
 oppositum cum omnibus aliis ab eo de-
 pendentibus. IV. Irritum quoque de-
 claretur epistola ad omnes urbes trans-
 missa. V. Adimpletis hisce conditio-
 nibus, sublato interdicto, censurarum
 absolutio concedatur. Re igitur cum
 accersitis quibusdam Patavinis Doctori-
 bus & Theologis communicata, respon-
 dit Princeps totumque Collegium, quod
 in Regis Franciæ gratiam captivos, abs-
 que præjudicio auctoritatis Reipublicæ,
 tradere parati essent, non tamen omis-
 sa protestatione: quo stabilito Cardina-
 lis de modo censuras tollendi agere cæ-
 pit,

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Sæc. XVII. pit, exponens, quod ipse cum Principe
 A. C. 1607. & Senatu ad Ecclesiam Divi Marci
 cedere, atque ad finem Missæ eisdem
 solitam benedictionem impertiri velle
 eo ipso enim, quod coram Senatu ipse
 met Sacrum celebraret, omnibus ma-
 nifestum fieret, sublatas esse censuras.
 Verum hic modus displicuit Principi
 qui Cardinali hæc reposuit, „ut noster
 „innocentia omnibus sit manifesta, non
 „lique culpæ obnoxia, minime decesserit
 „ut interveniat actio, quæ absolutionis
 „pœnitentiæ aut condonationis species
 „præferat: sæpe enim aliis Principibus
 „bus contigit, ut quæ ipsi ex pietate
 „ac Religionis studio fecerant, ab aliis
 „in commissæ agnitæque culpæ testimo-
 „nium accepta fuerint. „ Opponens
 autem Cardinale, quod Benedictio
 apostolica nunquam sit rejicienda, re-
 posuit Princeps, *nec nos illam rejiciemus*
nec unquam rejiciemus, nisi ea in falsæ cul-
pæ signum adhibeatur: Tandem multo
 ultro citroque agitatæ Cardinalem inter
 & Senatum conventum est. I. Ut Car-
 dinalis in Collegio absque alia actione
 solutas esse censuras annuntiet, eodem-
 que tempore Princeps Cardinali tradat
 edicti revocationem. II. Captivi red-
 dantur, data duntaxat utrinque fide.
 III. Religiosi, qui a Veneta ditione re-
 cessere, restituantur, exclusis Jesuitis

utpote qui non ob Pontificis obedi- Sæc. XVII.
 tiam, sed alias graves culpas ejecti A. C. 1607.
 fuissent. IV. Nulla fiat mentio de epi-
 stola ad civitates directa, sed duntaxat
 edicti revocatio typis imprimatur. V.
 Orator Romam decernendus a Republica
 eligatur. His stabilitis supererat diffi-
 cultas circa ipsum diploma; cum enim
 ibi hæc verba legerentur: *sublatis censu-
 ris simul tollatur edictum*, Cardinalis con-
 tendit, omittendum esse verbum *tolla-
 tur*, subrogato verbo *revocetur*; in quo
 Senatus voluntati Cardinalis acquievit.

Compositis igitur omnibus dies vi-
 gesima prima Aprilis indicitur, in qua
 tot votis exoptata reconciliatio perface-
 retur: Res autem hunc in modum per-
 acta: Habitabat Joyosa Cardinalis in
 Ferrariæ Ducis Palatio, quo se matu-
 tina luce conferebat Fraxineus Gallia-
 rum Regis Orator: postea Marcus Ot-
 tobonus Reipublicæ Secretarius cum
 duobus Notariis & satellitibus, qui am-
 bos captivos Canonicos ducebant, Ora-
 toris cubiculum accessit, quo salutato
 inquebat: *Hi sunt duo illi capti, quos
 juxta transacta Serenissimus Princeps in Re-
 gis Christianissimi gratiam Oratori suo con-
 signat, protestando, quod id absque præ-
 judicio auctoritatis, quam Ecclesiasticos ju-
 dicandi Respublica habet, factum intelligen-
 tur, ad hæc reposuit Orator: Hac con-
 ditio*

Hist. Eccles. Tom. LIV.

L

ditio-

Sæc. XVII. *ditione illos recipio: his ita gestis delo*
 A. C. 1607. *per utrinque conficiuntur tabulæ. Orator*
 vero cum toto suo comitatu Captivos ad Cardinalis conclave adducens *hi sunt, inquiebat, captivi, quos Pontifex tradere jubeor, mox Cardinalis eos confirmabat Claudio Montano hanc in re a Papa delegato, qui in Domini & possessionis signum eos dextera tangens satellites rogabat, ut illos interim custodirent. His peractis Cardinalis unum cum Oratore ad Principem, totumque Collegium accedens inquiebat, gaude tandem optatissimum juxta ac faustissimum illum illuxisse diem, in quo Serenitati vestre annuntiare licet, quod omnes censuræ sint, prout reipsa sunt, sublata: in gratiam capio voluptatem ex præclaro hoc beneficio, quod in Christianam Rempublicam præcipue vero in Italiam exinde redundat. His dictis Princeps diploma de revocato decreto tradidit Cardinali, qui Oratorem Romanum ablegandum seligi petiit eapropter eadem adhuc die sub vespere nominabatur Franciscus Contarinius, qui etiam die nona Maji Romam profectus die decima nona ejusdem Mensis ad Pontificis alloquium pertempnigne admissus est: vicissim vero Pontificis Nuntius die secunda Junii Venetias advenit, pari honorum significatione exceptus: Pontifex vero hanc*
 trans

transactionem sibi a Cardinale submissam die trigesima Aprilis ratam habuit. Tandem igitur periculofum hoc diffidium contra omnem spem optatum fortiebatur exitum, cujus prosperitas potissimum in acceptis referenda est dexteritati Cardinalis Joyosæ, qui omissis cavillationibus multa, quæ quidem Romanæ Curiae Ministri expetebant, ipse vero nunquam a Venetis concedenda prævidit, prudenti dissimulatione suppressit. Re penitus confecta Veneti huic Cardinali argenteorum vasorum quatuor sportas, Oratori autem Gallico adamantem & aureum ingentis pretii poculum in gratitudinis thesseram pro adhibita tam indefessa opera dono dederunt. Henricus vero Galliarum Rex Perronium Cardinalem Senonensi Archiepiscopatu & supremi Galliarum Eleemosynarii dignitate decorabat.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. LXIV.

Calvinistæ occasione hujus dissidii suam sectam Venetias invehere intenti.

Composito hoc dissidio epistola a quodam Pastorculo Genevensi Parisios ad quemdam Calvinistam fuit intercepta hujus tenoris: „Ipsemet aliquamdiu Venetiis commoratus Evangelium ibidem introduxi, cujus uberrimos

Daniel hist. de France tom. 10. Lettr. du Cardinal. Ubaldin. 16. Sept. 1609.

L. 2

„fru- 1609.

Sæc. XVII. „ fructus post aliquot annorum curri-
 A. C. 1607. „ culum videbimus: in hac vinea Frater
 „ Fulgentius (*) sanctissimus Evangelii
 „ Prædicator indefesso studio laborat
 „ plures etiam ex Senatoribus, ac præ-
 „ cipue Dux oculos ad veritatis lucem
 „ aperuerunt, quamvis nondum se-
 „ manifestare, sed tempus magis oppor-
 „ tunum præstolari decreverint, donec
 „ eorum numerus erit celebrior: Fe-
 „ tur quoque, quod epistolæ adversus
 „ Papam & Jesuitas scriptæ Autho-
 „ existat Nobilis Venetus nomine Do-
 „ minicus de Molino: nil ergo Reli-
 „ gionis Reformatoribus superest, nisi
 „ ut Deum exorent, quatenus brevi
 „ Papa litem contra Venetos excitatam
 „ permittat; hac enim ratione ipsi Re-
 „ formatam Religionem in Venetas di-
 „ tiones invehendi occasionem nancis-
 „ centur. „ Hanc epistolam, si ve-
 „ ra siue conficta fuerit, Henricus Rex
 „ Ubaldino Pontificis Nuntio legendam
 „ præbuit, qui vehementer attonitus, in
 „ nascenti malo remedium pro ea, quod
 „ apud Venetos valeret, auctoritate op-
 „ positurum, spondit: vicissim Venetus
 „ Rex Nuntio declarabat, quod de tota

(*) Erat is ex Ordine Servitarum Reipublicæ Theologus, ac Fratris Pauli Sarpi Socius, cujus etiam vitam conscripsit.

rei serie edoctus Campignio suo apud Sæc. XVII.
 Rempubicam Oratori hanc in rem li- A. C. 1607.
 teras dedisset, addito mandato, ut ad
 Senatum admitti petens, eidem immi-
 nens fidei periculum, malumque præ-
 veniendi necessitatem ob oculos pone-
 ret. Enimvero Campignius præcipuis
 Senatoribus, quos Orthodoxæ fidei ad-
 dictissimos noverat, hujus Calvinistæ
 epistolam exhibuit, ac re cum illis col-
 lata ad Senatus confessum introduci
 petiit, ubi hac super re acriter decla-
 mans pluribus, iisque validissimis ratio-
 nibus demonstratum ibat, quantum Rei-
 publicæ interfit, omnem aditum hæ-
 relis veneno tempestive occludere: post-
 ea præfatam extraxit epistolam, ad cu-
 jus lectionem ex Senatoribus quidam
 exanguis ac pallore deformis constitit,
 alius vero palam edixit, has literas esse
 supposititias, atque a quodam confictas
 Jesuita, qui Patris Cotoni opera usus
 Rempubicam Regi, mundoque exosam
 reddere conatus esset: ad hæc vero re-
 ponente Oratore, quod nisi Rex de hu-
 jus epistolæ veritate certus foret, ean-
 dem prudentissimo huic confessui com-
 municari haud jussisset, non pauci ex
 Senatoribus acriter in Fratrem Paulum
 & Fulgentium invehebantur, dato In-
 quisitoribus negotio, ut suo officio stre-
 nue fungentes mala ex hæresi & hære-

Sæc. XVII. A. C. 1607. tiorum technis pertimescenda prævertere satagerent: Insuper Fratri Fulgentio, ne deinceps ad populum diceret, inhibitum, Sarpus vero plurimum imminuta, qua prius apud Rempublicam valebat, existimatione deinceps tam in sermonibus quam scriptis suis cautiore, magisque circumspexit evaserat: Hæc si vera forent, licet ægrecum probata Donati Principis probitate, & tantopere deprædicata Sarpus Orthodoxia conciliari possint, luculentum tamen essent testimonio, quod hæreticofedulo omnique tempore ex Catholicorum dissidiis sectas suas propagandi occasionem captare studiosissimi sint.

§. LXV.

Paulus Sarpus a Sicariis graviter vulneratus.

Vita del P. Paolo Memoir. secret. tirées des archives des Souverains pag. 6. Thuan. l. 137. Attamen non modo Sarpus famam calumniis obterrere satagebant nonnulli, sed insuper ejus vitæ insidias Sarpus fruebant, præprimis vero sexto post redditam pacem mense die quinta Octobris a Sicariis invasus ægrecum mortis periculum eluctabatur: cum autem hoc idem facinus a variis Scriptoribus calamo vel in Pontificem vel in Sarpum nimis amarulento citra veritatem descriptum videatur, potius Authorem

arca-

Sæc. XVII. ponte Sanctæ Fuscæ descenderet, ad
A. C. 1607. monasterium suum reversurus, vidit po-
 pulum ad incendium, quo domus quæ-
 dam correpta flagrabat, extinguendum
 turmatim accurrere: incitabat quoque
 spectandi aviditas Fratrem Marinum,
 qui obtenta a Sarpio licentia pariter es-
 festinus contendit. Hujus absentia freti,
 qui in insidiis latebant, quinque sicarii
 Paulum nil mali suspicantem adoriun-
 tur, & quindecim ictibus in facie &
 collo feriunt, ac pugionem in uno vul-
 nere infixum relinquunt, alius vero
 Marinum insecutus eundem tam diu li-
 gatum tenuit, donec Sarpio, ut crede-
 bant, trucidato ejus Socii ex condito
 reversi fuissent, qui præcipiti pedum
 studio aufugientes conscenso navigio ad
 id instructo in Ferrariensem ditionem de-
 scenderunt; comperto atroci hoc faci-
 nore Venetus Senatus, ut deinceps
 Theologi sui vitæ ac securitati consul-
 tum esset, die vigesima nona Octobris
 hoc edictum promulgari jussit: *Spedito*
nesario conatu contra Reverendum Patrem
Magistrum Paulum Servitum Reipublicæ
Theologum attentato, necnon compellente
pietate Reipublicæ consueta & protectione,
quam illis debet subditis, qui eidem suo Ze-
lo ac fidelitate deserviunt, prout hic Reli-
giosus raræ probitatis ac doctrine Vir præ-
sistit, Respublica ad testificandam suam er-
 ga

Sæc. XVII. omni sollicitudine caverat, ne quid fieret aut diceretur, quod Pontificem posset offendere, severe etiam prohibitis bellis, qui hac de re in vulgus spargantur, vel postea spargi possent.

§. LXVI.

Diplomatis promulgatio circa controversiam de auxiliis a Paulo V. in aliud tempus dilata.

Abregé de l'hist. Eccl. tom. 10. Acta P. Le-mos Hist. Congreg. l. 4. c. 22. Diarium Pegnæ Hist. controu. l. 6. cap. 23.

Plurimo quamvis labore, quo plerumque utilia comparantur, denique Venetæ litis salus constitisset, ab ipso tamen hoc tumultu Paulus V. haud exiguum alterius controversiæ levamentum deprompsit, litigio inter FF. Prædicatores & Jesuitas per tot annos protrahitur in finem, saltem silentium imponendi occasionem nactus. Postquam enim Pontificis jussu Gregorius Nunnius Coronellus, qui Sacræ Congregationi a secretis erat, præmeditatum damnandæ Molinisticæ doctrinæ diploma quatenus sub limam revocatum, atque a summo Pontifice ultimo recognitum exhibuerat, nil propius videbatur, quam ut hoc ipsum diplomatis specimen Pontificia manu firmaretur, eoque promulgato hæc controversia Apostolico iudicio tandem dirimeretur: Insuper Pontifex

tifex Cardinales ad hujus caussæ co-
 gnitionem adscitos, qui jam anno su-
 periori hanc litem definiendi necessita-
 tem exposuerant, denuo die vigesima
 octava Augusti in festivitate D. Augu-
 stini, qui strenuus erat gratiæ vindex,
 consuluit Pontifex, num *his maxi-
 me temporibus* (scilicet cum Societas
 ob primum in Pontificis jussa obsequium
 Venetiis expulsa fuisset) indicta Congreg.
 solemniter controversiæ definitio promul-
 ganda esset? Quid vero in hoc conven-
 tu deliberatum fuerit, resciri nequit,
 eoquod Pontifex inviolabilis silentii le-
 gem imposuisset, & ipse Coronellus,
 qui acta conscripsit, huic Congregatio-
 ni non interfuerit: Livinus quidem Je-
 suita in sua historia *ex probabili* conje-
 ctura nullatenus dubitandum censet,
 quod Papa Cardinalibus Molinisticæ
 opinionis merita & Banesianæ doctri-
 næ vitia compendio proposuerit, eo fine,
 ut hi ex integra rerum cognitione se-
 cundum æquitatis Regulas de caussæ
 justitia censerent. Verum in re tanti
 momenti *probabilis* conjectura parum va-
 lere videtur: id unice certo compertum
 habetur, quod Pontifex accersitis post
 tertium diem Ordinum Præpositis litem,
 judicii que Apostolici promulgationem
 differendam declararit, prout ex se-
 quenti rescripto Pontificio ostenditur:

In

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

Sæc. XVII. *In caussa de auxiliis, Sanctissimus Dominus Noster disputantibus & consultoribus significavit, posse illos reverti ad propria, dixitque Sanctitas sua, se opportuno tempore promulgaturum declarationem, ac determinationem suam, atque interim interim serio injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione, nullus partem alteram nota qua, vel censura perstringere audeat, nisi insuper tam Prædicatoribus quam Jesuitis, ut si quis hoc in capite deliquerit, severe puniatur, ita quippe suum istud decretum violate servari vult, suo ergo officio commiserit Paternitas vestra, ut ejus observatione invigilet, singulariter vero data occasione significabit, quidquid in hoc executione demandaverit, ut de iis sicut Sanctitati ratio reddi valeat.*

§. LXVII.

Cardinalis Perronii conatus pro impetranda hac Pontificiæ definitionis dilatione.

Ciacon. in vita Perron. Card. Abrege l. c. Hist. Congreg. l. 4. cap. 23. P. Eggs S. J. l. 5. Purp. doct. Jam dudum Perronius Cardinalis quamvis Molinæ doctrinam sibi minus probatam haberet, ad omnes tempus intentus erat occasiones, ut Henrico Regi suo gratificaturus periclitaretur Societatem in Auxiliorum contraversia juvare, ac imminens capiti suo men quæsitam mora saltem ad tempus avertentem

vertere posset: haud magis exoptata Sæc. XVII.
 hujus consilii opportunitas occurrere A. C. 1607.
 videbatur, quam quæ ex sinistro Jesui-
 tarum fato, quod Venetiis subibant,
 enata est; prout ipsemet Perronius da-
 tis die undecima Julii anno priori lite-
 ris Henrico IV. his verbis insinuabat:
haud dubito, quin ea res (loquebatur de
proxima causæ hujus definitione) ad
exitum deducatur, nisi occasione Veneti dis-
sidii alia interveniat vicissitudo, quæ illius
cursum sistat. Cum ergo Perronius So-
 cietatem plus æquo affligi crederet, si
 eo tempore, quo unice ob obedientiam
 & præstitum Sedis Apostolicæ obse-
 quium, Patriæ, honoris, & fortunæ
 periculum adibant, Pontificia doctrinæ
 suæ damnatione diffamarentur, ac ma-
 jori infamix, suorum æmulatorum lu-
 dibrio, irrisioni, ac despectui expone-
 rentur, aliunde vero Cardinalis sibi Pon-
 tificis, atque Henrici Regis gratiam
 novo hoc officii genere demereri ave-
 ret, hinc sua eloquentia, sagacitate at-
 que auctoritate, qua plurimum vale-
 bat, Pontificem eo inclinabat, ut ipse-
 met proposita ratione persuasus, vulnus
 a Venetis inflictum procrastinatæ dam-
 nationis emplastro mederi festinaret.
 Nec id diffitetur Augustinus Oldoinus
 Jesuita Ciaconii continuator, ex quo
 P. Eggs ejusdem Societatis Alumnus
 hæc

Sæc. XVII. hæc scribere haud dubitabat: *Paulo V. A. C. 1607. auctor fuisse memoratur Perronius, ut lemniſis diſputatio de auxiliis gratiæ efficaciæ libero arbitrio & Prædeſtinatione excitandi & periculofis opinionibus opportunior, quam ferendis fructibus, ſilentio involueretur.*

§. LXVIII.

Hoc Pontificis decretum Nuntiis Apoſtolicis Inquiſitoribus, aliisque inſinuatum.

Hift. Congr. l. 4. c. 23. & 24. Abrege l. c. Pegna in adverſ. **H**oc Pontificis decretum, quamprimum publicæ luci datum, nulla mora Nuntiis Apoſtolicis necnon hæreticæ pravitate Cenſoribus eo fine communicatur, ut hanc litem non quidem finitam, vel deciſam, aut uni parti adju dicatam, ſed duntaxat ſuſpenſam, atque ad opportunius tempus dilatari eſſe innotefceret: Idem quoque die quinta Septembris Claudius Aquaviva Societatis Præpoſitus miſſis per omnes Provincias Encyclicis literis ſignificabat. Hiſpani quoque Inquiſitores omnibus ſibi ſubjectis denuntiarunt, quod Pontifex opportuno tempore ſuam hæc in cauſa definitionem evulgaturus eſſet, proin lite nondum deciſa interim curæ data ſit facultas, ut quoad ſua Sacerdotitas reſolvat de hac controverſia, poſſint diſputare & tractare de præſata materia.

quin tamen quis alterutrius sententiam censuris perstringere audeat. Quamvis ex ipsis Pontificii hujus decreti verbis luculenter pateat, Molinæ sententiam toties a Censoribus notatam, nondum tamen Apostolico iudicio damnatam, sed adhuc toleratam fuisse, nihilominus in variis Hispaniæ urbibus festivi ignes ludique instituti, triduanæ feriæ Scholaribus indictæ, tauri per plateas & vicos agitati, castrenses tibicines & Tympanotribæ diu noctuque auditi, ac denique triumphales arcus magna mole fuerunt erecti, quorum in fronte titulus aureis literis incisus legebatur: *Molina Victor*. Attamen tantilla hæc dilati fulminis refrigeria, atque inde captata gaudia non citra indignationum æstus steterunt; postquam enim Fratres Prædicatores, atque inter eos præcipue Joannes de Arcediano Hispaniæ Provincialis die vigesima sexta Novembris datis ad Papam literis de hac injuria quererentur, ac Franciscus Pegna Rotæ Romanæ Decanus, intempestivi hujus plausus scandala graviori Sermone coram Pontifice exponeret, hic datis ad Hispaniæ Regem literis declarabat, proximam hujus litis decisionem sibi adhuc cordi esse, falso autem asseri, quod Molinistarum opinionem tanquam probabilem approbasset. Hac igitur ratione nimis

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

Præf. Hist.
Congr. S. 12.
P. Labbe
Jes. l. 2.
elog.

Sæc. XVII. nimis præfestina quorundam victori
 A. C. 1607. evanuit, brevi tamen revixit pro utra
 que sententia decertantium ardor, ut
 vero potior sit, judicent docti. Pro qua
 autem parte historica hujus dissidii ve
 ritas stet, compendio res ageretur, inquit
 Norisius Cardinalis in vindiciis Augu
 stinianis, si liceret acta Congregationum
 recitare, producendo, quibus opposita
 pars caret, antiquiora & coeva testi
 monia ex Historicis commentariis Thomæ
 de Lemos, Francisci Pagnæ & Co
 ronelli, qui omnes ea ætate tum Romæ
 fuerunt præsentibus, maximamque
 actis ipsis partem habuere: Ceterum
 circa hunc articulum Religionis pro
 silentio litandum est: id tamen omnino
 compertum habetur, quod Calvinistis
 impositum Pontificis silentium in res
 suam vertentes passim divulgarent. Se
 mipelagianismum in Ecclesiæ Romanæ
 gremio tolerari: hos tamen doctissimo
 Bossuetius solide confutavit.

§. LXIX.

*Pacis atque induciarum negotiatio
 Belgio Catholicos inter &
 Fœderatos.*

*Gallus. de
 Bello Belg.
 lib. 20.
 Grotius l. 15.
 & seqq.*

Sub idem tempus, quo Romæ dogma
 tica concertatio inter Thomistas &
 Molinistas sententiæ suspensione con
 quiescit.

quiescere cæperat, post atrocissimum Sæc. XVII.
 quadraginta annorum bellum tandem A. C. 1607.
 etiam de induciis cogitatum est, tam
 Alberto Archiduce, quam Mauritio ad Haræus an-
 communem Belgii tranquillitatem pro- no 1607.
 pensis. Obstabat tamen antiquum jus, Thuan.
 quod Archiduces in Fœderatas Pro- lib. 138.
 vincias, quæ viginti quinque abhinc
 annis Hispanorum imperium excuf-
 ferunt, sibi adhucdum vindicare cre-
 debantur, quocirca Belgii Ordines pa-
 lam declarabant, nullam pacis spem
 fore, nisi prius hæ Provinciæ in liberæ
 Reipublicæ statum redactæ agnosceren-
 tur: nihilominus Archidux concordix
 spe haud dejectus Joannem Neyum, qui
 post vigesimum ætatis annum ab hære-
 ticis ad Catholicos se receperat, Fran-
 ciscanæ familiæ Generalem, ut vocant
 Commissarium pro hoc negotio selegit,
 Sacros Viros, utpote reconciliationis
 humanæ interpretes, pacis tractationem
 minime dedecere ratus. Hic ergo Re-
 ligiosis vestibus in profanas commuta-
 tis die vigesima sexta Februarii Bruxel-
 lis Risvicum contendit, ibidem Hagam
 Comitum progrediendi potestatem præ-
 stolaturus, qua obtenta ad Mauriti &
 Barneveldii Hollandiæ Patroni allo-
 quium admittus exposuit, quod Archi-
 ducum exiltimationi graviter detrahe-
 retur, si hosce populos nunc nimia in-
Hist. Eccles. Tom. LIV. M dul-

Sæc. XVII. A. C. 1607. indulgentia liberos declararent, in quo
 nis movissent: ad hæc vero mox
 spondit Mauritius, *non ipsi, sed nobis*
manus hanc nobis peperere libertatem,
qua acrius quam pro vita pugnabimus.
 dictis dimissus est Neyus, data ei
 redeundi facultate, dummodo ampli-
 res demandatæ de induciis agendi
 testatis literas secum afferret, quibus
 obtentis Barneveldius Fœderatorum
 nomine alium ejusmodi chirographum
 tradebat, in quo Ordines postulabant
 ut Hispani quoque Regis consensus
 cederet, de qua cum Neyus ea legisset
si Archiduci placeret, cavisset, Bruxelas
 rediit, inde vero Hagam reversus
 Ordinibus petiit, ut non modo terra
 sed & mari ab omni hostili opere cessaretur:
 cum autem ei responderetur, quod non antea
 Classis Hollandicæ in Hispaniæ litoribus
 revocanda esset, quæ ex aula consensus
 Regis in Inducias acciperetur, Neyus hoc
 responso contentus tandem a Fœderatis
 obtinuit, ut armorum cessatio in octo
 Menses promitteretur.

§. LXX.

Induciarum promulgatio.

His ita feliciter confectis communis Sæc. XVII.
 omnium erat lætitia, ac præcipue A. C. 1607.
 Fœderati Ordines die decima tertia
 Aprilis hæc inducias per omnes Pro- Merc. Gallo-
 vincias promulgari præceperunt, misso belg. l. 31.
 hunc in finem edicto, quo publicam t. 8. part. 2.
 privatamque subditorum utilitatem, ac Rapin.
 Calvini sui Religionem hac pace promo- Thoir. hist.
 tam gratulantes, in tam singularis bene- d' Angl. l. 17.
 ficii recognitionem universalem jejunii Daniel hist.
 & precatationis diem nonam Maji per om- de France
 nes urbes & oppida indixerunt. Postea tom. 10.
 Theodorus Doufa seu Verdufius die
 decima quarta Aprilis ab Ordinibus Lil-
 boum decernebatur unacum literis,
 quibus præfatæ octimestres induciæ so-
 lemnis ritu confirmabantur, vicissim ve-
 ro pares Archiducum literæ Verdufio
 traditæ, cui jam antea, ut huic negotio
 egregiam navaret operam, Neyus Ar-
 chiducis nomine admodum pretiosum
 torquem aureum dono dederat: ita
 nempe nullum negotium tam arduum
 est, quod auri ope confici non valeat.
 Paulo post Galliarum Rex Ordinum li-
 teris certior factus, die vigesima octava
 Maji quosdam ablegabat, qui præpri-
 mis questi, quod Ordines ad rei adeo
 gravis conclusionem Rege incio descen-
 derint, petebant, ut ex Fœderatorum
 numero aliqui publica auctoritate dele-
 garentur, quibuscum ipsi de rebus ad

M 2

com-

Sæc. XVII. commune bonum spectantibus delibe-
A. C. 1607. rare possent. Postea Fœderati, ca-
 æmulationis invidiam sibi accerferent,
 pariter quosdam ad Jacobum Angli-
 Regem decreverunt, qui eundem de
 gesta certiores redderent, ejusque operam
 consiliumque implorarent. Interim die
 decima sexta Julii expectata Hispani-
 Regis approbatio ad Ordines delata est
 cunctis sibi tam felicem exitum gratulan-
 tantibus: Idem quoque officii genus Pos-
 tificis nomine Guido Bentivolius Nun-
 tius Apostolicus apud Archiduces ex-
 solvebat. Die autem nona Octobris ad
 Fœderatos allatæ sunt Rudolphi II. Ce-
 saris literæ, in quibus se in scio ac in-
 consulto armorum cessationem fuisse
 sancitam querebatur, declarans, se
 se jure postulare, ne sine assensu
 pacis negotium promoverent, aut aliter
 quid circa Belgium Sacri Imperii fe-
 dum aggredierentur, quod imminutus
 iret Cæsaream auctoritatem. Verum
 Fœderati in suo responso nullam fecerunt
 mentionem de ea literarum parte,
 qua feudum Imperii Belgium diceba-
 tur, forte quia id refellere odiosum
 fateri inglorium censuere. Demum
 exeunte anno de ipso pacis negotio age-
 batur, sublatis jam per inducias gra-
 vioribus obstaculis.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. LXXI.

Pontificis literæ ad Anglos Catholicos circa Regis juramentum.

Postquam primum Pauli V. diploma, *Balduin. mor. Chron. Rapin Thoiras Hist. d'Angl. l. 18. Juven. hist. Soc. lib. 13. pag. 5.* quo neminem sine salutis dispendio se præscripto juramento obstringere posse declarabat, in Angliam fuerat delatum, Blackwellus aut pœnarum metu, aut Regi complacendi studio deceptus hæc Pontificis literas promulgare detrectabat, obtendens, hanc causam non satis Pontifici explicatam ac cognitam fuisse, hocque diploma a Pontifice Jesuitarum fraudibus decepto emanasse: Re comperta Paulus V. ex animi sententia & causa diligenter cognita ac discussa præfatum diploma se scripsisse denuntiabat, & die vigesima tertia Augusti hujus anni novum diploma ad Catholicos Angliæ trans mittebat, hujus tenoris.

Dilecti Filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum satis declaraverimus per literas nostras anno superiore decimas Kalendas Octobris in forma Brevis datas vos tuta conscientia præstare non posse juramentum, quod a vobis tunc exigebatur, & præterea stricte præceperimus, ne ullo modo illud præstaretis, nunc

M 3

dicere

Sæc. XVII. dicere audeant, hujusmodi literas de prohibitione juramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse; sed potius aliorum intuitu, atque industria: eaque de causa iidem persuadentur, mandata nostra dictis literis non esse attendenda: perturbavit sane nos hic nuntius, eoque magis, quod experti obedientiam vestram (filii nostri unice dilecti) qui, ut huic Sanctæ Sedi obediretis, opera, facultates, dignitates, libertatem, vitam denique ipsam, pie ac generose nihili fecistis, nunquam suspicati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium, fidem literarum nostrarum Apostolicarum, ut hoc prætextu vos ex mandatis nostris excimeretis: verum agnoscimus versutiem, atque fraudem adversari humane salutis, eique potius quam vestra voluntati tribuimus hanc renitentiam. Et propter iterum ad vos scribere decrevimus, ac denuo vobis significare, literas nostras Apostolicas, anno præterito decimas Kalendarum Octobris datas de prohibitione juramenti, non solum motu proprio, & ex certa nostra scientia, verum etiam post longam, & gravem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuisse scriptas, & ob id teneri vos, illas omnino observare, omni interpretatione secus suadente rejecta. Hæc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra, qui de vestra salute solliciti, semper cogitamus ea, quæ magis

gis vobis expediunt. Et ut cogitationes, Sæc. XVII.
 & consilia nostra illuminet is, a quo Chri- A. C. 1607.
 stiano gregi custodiendo nostra fuit præpo-
 sita humilitas, indefinenter oramus, quem
 etiam jugiter precamur, ut in vobis filiis
 nostris summopere dilectis fidem, constan-
 tiam, mutuamque inter vos charitatem, &
 pacem augeat, quibus omnibus cum omni
 charitatis affectu, peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum
 sub annulo Piscatoris decimo Calendas
 Septembr. MDCVII. Pontificatus nostri
 anno Tertio.

Hisce literis summus Pontifex An-
 glicum P. Roberti Personii, necnon la-
 tinum Roberti Bellarmini Cardinalis
 responsum ad Jacobi I. Regis apologiam
 adjunxit. Attamen serius in Angliam
 hæ literæ sunt perlatæ; jam enim præ-
 fatus Archipresbyter, die vigesima quinta
 Junii in vincula coniectus tormentorum
 aspectu ac impiissimi Bancroftii Cantua-
 riensis Pseudo-Archiepiscopi dolis con-
 cussus, non modo hoc juramento se ob-
 strinxit, verum etiam Catholicos ad
 nefariam sui imitationem incitavit, da-
 tis ex carcere Westmonasteriensi die
 septima Julii hanc in rem literis ad re-
 liquos Angliæ Catholicos.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. LXXII.

*Jacobi I. Angliæ Regis responsum
ad secundum hoc Pontificis
diploma.*

*Opera Regia
Jacob. I.
pol. p. 118.*

Interim Jacobus I. Angliæ Rex suæ a-
pologix adjunxit sequens in has Pon-
tificis literas responsum: Quod ad hoc
Breve attinet, merito in authorem sua re-
torquentur verba, ut *versutia* & *astus Sa-*
tanæ appelletur. Nam si mille annis in
hoc incubuisset *Satanas*, ut insigni aliquo
infortunio Pontificios nostros mactaret, hoc
commento nihil reperisset unquam efficacius.
Quotquot enim sacramentum fidelitatis di-
xerunt, & laici & Sacerdotes non pauci
& ipse Archipresbyter, idque sine renisa
aut hæsitacione; necesse nunc habent non
modo Principi negare obsequium, nascendi
jure debitum, quod scrupulorum obtentu in
verbis juramenti excusari utcunque potuis-
set; verum etiam juratum ejurare, imo
vero tertia hac vice duo, quæ ante præstite-
runt, juramenta ejurare: alterum tacitum,
quod ipsa nascendi conditione intelliguntur
jurasse, alterum manifestum, nempe hoc
ipsum fidelitatis, quod nihil est aliud quam
taciti illius expressio, unde efficitur Anglo-
rum neminem manere posse in Catholica fide,
aut suæ animæ salutis prospicere, nisi eju-
ret obsequium, quod nascendi jure debet
Principi.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.*Bellarmini Cardinalis epistola ad Blackwellum Anglicæ Archipresbyterum.*

Non multo post Catholicorum nonnulli, quibus Religio cordi erat, summum Pontificem de Blackwelli perfidia certiorē reddidere: quapropter Bellarminus Cardinalis facti improbitate commotus, si forte errantem ovem reducere posset, Pontificis jussu Roma die vigesima octava Septembris ad eundem epistolam dedit, cujus hæc erat summa: „Anni sunt ferme „quadraginta, quod invicem nos viderimus, & opere & veritate alter in „alterius dilectione permansimus. Verum hoc silentium & lætitiā non „mediocriter interturbavit tristis nuntius, qui de constantia tua in recusando illegitimo juramento, forte labefactata, & prostrata retulit; neque enim (frater charissime) juramentum „illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum, & modificatum offerretur. Scis enim hujusmodi modificationes, nihil esse aliud, „quam Satanæ dolos, atque versutias, „ut fides Catholica de Primatu Sedis „Apostolicæ, vel aperte vel obscure pe-

Juven. &
Bald. l. c.

Sæc. XVII. „tatur, pro qua fide tot inclyti Marty-
 A. C. 1607. „res in ista ipsa Anglia ad sanguinem
 „usque pugnarunt; certe enim quibus-
 „cunque verbis juramentum ab adver-
 „sariis fidei concipiatur in regno isto, eo
 „tendit, ut auctoritas capitis Ecclesiæ
 „a Successore S. Petri, ad Successorem
 „Henrici octavi in Anglia transferatur,
 quod enim obtenditur de periculo vitæ
 „Regis, si summus Pontifex eam in
 „Anglia potestatem habeat, quam in
 „omnibus aliis Christianis regnis habet,
 „inane prorsus esse, omnes, qui sunt
 „aliqua prudentia præditi, facile vi-
 „dent; neque enim auditum est unquam
 „ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad
 „hæc nostra tempora, quod ullus Pon-
 „tifex Maximus Principem ullum, quam-
 „vis hæreticum, quamvis Ethnicum,
 „quamvis persecutorem cædi manda-
 „verit, aut cædem forte ab aliquo pæ-
 „tratam probaverit. „

*S. Gregor.
 Naz. in pri-
 ma orat. in
 Jul. Imp.*

„Vani sunt isti prætextus & stratage-
 „mata Sathanæ; sicuti vero Julianus
 „Imperator, ut simplicibus Christianis
 „imponeret, in imaginibus imperato-
 „riis, quas Romani civili quodam ge-
 „nere honoris pro more adorabant; ima-
 „gines Deorum falsorum admiscuit, ut
 „nemo posset Imperatoris imaginem
 „adorare, quin simul Deorum simula-
 „cris cultum adhiberet. Hinc nimirum
 „fie-

„siebat, ut plurimi deciperentur: & si Sæc. XVII.
 „qui forte fraudem subodorati, Impera- A. C. 1607.
 „toris imaginem venerari recusarent,
 „ii gravissime punirentur, ut qui Cæsa-
 „rem in sua imagine contempssissent.
 „tale aliquid in juramento vobis oblato
 „mihi videre videor, quod ea fraude
 „compositum est, ut nemo possit, prodi-
 „tionem in Regem detestari, civilem-
 „que subjectionem profiteri, quin pri-
 „matum Sedis Apostolicæ perfide ab-
 „negare cogatur. „

„Sed Christi Servi ac præsertim pri-
 „maril Sacerdotes tantum abesse debent
 „a susceptione illiciti juramenti, ut juxta
 „Eleazari exemplum ab omni etiam su-
 „spicione simulationis præstiti juramenti
 „cavere debeant, ne fidelibus ullam
 „prævaricationis exemplum reliquisse
 „videantur: in memoriam quoque re-
 „voca, quod cum Præfectus Valentis
 „Imperatoris hortaretur S. Basilium, ut
 „non vellet propter pravam dogmatum
 „subtilitatem Imperatori resistere, re-
 „spondit ille: *non esse ferendum, ut de di-
 „vinis dogmatibus vel una syllaba corrup-*
 „*patur: sed potius pro eorum defensione*
 „*omne supplicii genus amplectendum. „*

„Talem & te ac quidem Antesigna-
 „num esse oportet, & quamvis vel ino-
 „pinata comprehensio, vel acerbitas
 „persecutionis, vel senectutis imbecil-
 „litas,

Sæc. XVII. „litas, vel quid aliud in causa fuerit,
 A. C. 1607. „ut constantia titubaverit; confidimus
 „tamen de Domini pietate, & de diu-
 „turna tua virtute, fore, ut qui Sancti
 „Petri, & Sancti Marcellini casum ali-
 „qua ex parte imitatus videris, eorum-
 „dem fortitudinem in reparandis viri-
 „bus, & veritate asserenda feliciter imi-
 „teris. Nam si rem totam diligenter
 „apud te cogitare volueris, videbis pro-
 „fecto, non esse rem parvam, quæ ob
 „juramentum istud in discrimen addu-
 „citur; sed unum ex præcipuis fidei no-
 „stræ capitibus, ac Religionis Catho-
 „licæ fundamentis.

S. Greg. M. epist. 2. l. II. „Apostolicæ enim Sedis reverentia
S. Leo serm. 3. de assumpt. ad Pontif. epist. ad Episc. Vienn. „nullius præsumptione turbetur, tur-
 „bata autem læsoque capite ipse mem-
 „brorum status turbatur: Sequere exem-
 „plum Joannis Roffensis & Thomæ
 „Mori, qui pro gravissimo dogmate mar-
 „tyrium subiere: non anteponas liber-
 „tatem temporalem libertati gloriæ fi-
 „liorum Dei. Noli igitur tantorum la-
 „borum præmia tam facile perdere.
 „Noli Corona justitiæ, quæ tibi jam
 „dudum paratur, teipsam privare. Noli
 „tot fratrum, & filiorum tuorum vul-
 „tus confundere, in te sunt hoc tem-
 „pore conjecti oculi totius Ecclesiæ;
 „quin & spectaculum factus es mundo,
 „Angelis, & hominibus. Noli in ex-
 „tremo

„tremo actu ita te gerere, ut & tuis lu-
 „ctum, & hostibus gaudium relinquant, Sæc. XVII.
A. C. 1607.
 „sed contra potius, quod omnino spe-
 „ramus, & pro quo ad Deum nostrum
 „affidue preces fundimus, vexillum fi-
 „dei gloriose erigas, & quam contri-
 „straveras, lætam facias Ecclesiam.,

§. LXXIV.

*Blackwelli responsum ad Bellarmini
epistolam.*

Accepta hac epistola Blackwellus die *Thuanus*
 decima tertia Novembris Londini *lib. 138.*

ex carcere hunc in modum respondit:
 „Doleo sane, quod post tot labores
 „exantlatos pro Religionis Catholicæ
 „caussa in extremo actu minus me for-
 „titer gessisse, suggiller: Ceterum aliud
 „est jusjurandum, quod contra Prima-
 „tum Sanctæ Sedis diserte concipitur,
 „aliud, quod pro obedientia civili, quæ
 „Principi debetur, a subditis præstatur:
 „potestas Pontificis suos habet limites,
 „nec nisi extrema necessitate, & quæ
 „periculum annexum habeat, ad tem-
 „poralia extenditur: ita tu ipsemet cum
 „de Romano Pontifice quinque libros
 „ex professo scriberes, censuisti. Ita
 „Cardinalis Alanus, Cajetanus aliique
 „docuerunt: Ita Joannes Pedrezanus,
 „qui nuper pro Pontifice contra Vene-
 „tos

Sæc. XVII. „tos scripsit, ita denique Nicolaus Sanderus, quem ob oculos me semper habere monuisti, ea de re senserunt. Ita, que salva conscientia, & citra immunitationem cultus & reverentiæ, quæ Primatui Sanctæ Sedis debetur, ea formula, qua conceptum est, a me, & ab aliis Majorum Religioni addictis præstari potuit. Vale. „

§. LXXV.

Altera Jacobi I. Angliæ Regis Apologia seu epistola hortatoria ad Cæsarem & Principes.

*Thoiras
hist. d' Angl.
liv. 18.
Juvenc. l. 6.*

Cum autem eo tempore diu noctuque Satellitum catervæ gladiis, uncis ferreis, vectibus & malleis per totum Angliæ Regnum volitarent, ut ad hoc juramentum Catholicos adigerent, ac recusantes sævis tormentis cruciarent, hujus inhumanitatis fama brevi ad Catholicos Principes delata non modicam labem Jacobi I. Regis existimationi inussit. Sub idem quoque tempus Tyrannæ Comes, qui oppressam in Hibernia Religionem totis viribus erigere adlaborabat, Londino in Patriam suam revertebatur, tentaturus, utrum quorundam exterorum Principum suppetiis adjutus, Catholicos ab hæreticorum oppressionibus liberare valeret: spe autem sua

sua frustratus, cum insequentium furo-
 rem pertimesceret, unacum Tirconello
 Comite Regno excedebat, variasque
 regiones pervagatus ubique narrabat,
 quam inhumana crudelitate Catholici
 in Hibernia divexarentur, & quod ipse
 met hanc ob causam sua bona, Patriam-
 que relinquere coactus esset. Ejusmodi
 querelæ ad Regis aures brevi delatæ
 eum rubore suffundebant, cumque tan-
 quam Catholicorum Tyrannus traduci
 iniquo ferret animo, aliunde vero ob
 confutatam suam apologiam exacerba-
 tus esset, ut hanc labem a se amove-
 ret, simulque scriptum suum defende-
 ret, epistolam ad Cæsarem, Reges &
 Sacri Romani Imperii Principes, ut vo-
 cat, *monitoriam* scripsit, in qua se *fidei*
vere Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ,
veterisque ac Primitivæ Ecclesie tot Epi-
scoporum, aliorumque fidelium Martyrii
gloria coronatorum sanguine illustris Pro-
pagatorem ac Defensorem nominat, postea
 recensita conjuratione nupera se notum
 jusjurandum proposuisse ait, ut depre-
 hendi posset, an adhuc restarent aliqui,
 qui cum conjuratis sentirent, quod si
 tunc, prosequitur Rex, *leges aliquæ tri-*
stiores vel in Papistas latæ, sane temporis,
locique, & hominum ratio, qui eas fere-
bant, severitatem istam in Pontificios non
tam suaserunt, quam extorserunt. Ita ta-
 men

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Sæc. XVII. *men animus meus, & instituta administranda*
 A. C. 1607. *darum rerum ratio ab omni acerbitate ab-*
 horret, ut vix ulla ad superiores leges se-
 verior accessio in hunc usque diem executioni
 mandata sit, atque ut certioribus iudiciis
 perditam horum convitiatorum malitiam de-
 prehendere possitis, qui hoc jusjurandum ex-
 cogitatum esse impudenter asserunt, ad im-
 providorum Pontificiorum conscientias in
 causis fidei in fraudem illiciendas, rem
 omnem paucis expediam.

Ea pars publicorum Ordinum, quæ in
 inferiore curia continetur, (inferiorem domum
 parlamenti vocant) cum primum conciperetur
 jurisjurandi formula: clausulam inserue-
 rat, qua Pontifici excommunicandi mei po-
 testas adimebatur. Sed hanc clausulam
 induci protinus ac deleri volui, ut vis alia
 hujus jurisjurandi non esset, quam excom-
 municationem Pontificis, justam ac legiti-
 mam causam meis subditis ministrare non
 posse, ut quicquam apertis aut clandestinis
 consiliis in me, meumve imperium molire-
 tur: qui abdicandorum Regum jus, nullo
 legitimo modo Pontifici quæsitum esse cer-
 seam: & hanc injustam Paparum usur-
 pationem & violentiam sæcularem, Ex-
 communicationis, quæ spiritualis censura
 est, fines longe lateque excedere arbitror.
 Tanto studio, tantaque sollicitudine cave-
 bam, ne quicquam hoc jurejurando conti-
 neretur, præter fidelitatis illius, civilisquæ
 & tam

Et temporalis obedientiæ professionem, quam ipsa natura omnibus sub regno nascentibus præscribit: addita sponsione, qua opem Et auxilium contra omnem vim debitæ fidei adversam a subditis stipulabar.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

Hoc igitur jusjurandum, cum promulgatum esset, positumque jam in usu, tantum barbarum in Pontificis, Clerique Pontificii animis concivit, ut instar undarum undas supervenientium ipsa Brevia in Angliam certatim advolarent, quibus interdicebatur Catholicis, ne se illius Sacramenti religione obligarent: rem esse fidei contrariam, quamque ipsi sine jactura animarum admittere non possent. Cardinalis quoque Bellarmini literæ ad Blackwellum allatæ sunt, in eandem sententiam quidem scriptæ, sed quibus prolixius de hoc jurejurando differebatur.

Visum itaque e re esse, ut hujus jurisjurandi Apologiam ederem, in qua suspiciebam probandum, nihil in eo contineri, nisi quod ad obedientiam mere civilem ac temporalem spectat, qualis summis Principibus a subditis debetur: huic autem æquissimæ legi controversiam non aliunde esse motam, quam ab ambitiosa Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem Scripturarum, contra Conciliorum antiquorumque Patrum mentem sibi in temporalia Regum jura Et auctoritatem injuste usurparunt: in qua quidem

Hist. Eccles. Tom. LIIV.

N dem

Sæc. XVII. dem Regum auctoritate asserenda totam
A. C. 1607. meam Apologiam impendi.

Sed cum id operis emissem, ecce tibi
exortos subito duos Censores, qui non tam
argumentis in librum, quam in me convitiis
certaverunt, ut impudentiam hominum con-
nes merito mirentur; cum enim librum Angli-
gico sermone conscripsissem, qui, pro ar-
gumento, jurisjurandi Anglicani patro-
nium complecteretur, totaque res Angli-
meos potissimum tangeret; Et mox aliqui
faciliorem illi viam ad exteras gentes stern-
cupientes, eundem latinitate donassent; re-
diit ad me non multo post male multatam
Et utroque idiomate vapulans.

His ita expositis Rex de utroque
censore agit, & quidem primo Perle-
nium, qui Anglice respondit, fugi-
vum, obsequii debiti ejuratorem, &
homuncionem appellat, de altero au-
tem, qui latino sermone Regis apolo-
giam confutabat, subjungit: quis
libro auctor sit, tantum ex conjectura augu-
rari possum, id nominis sibi adscripsit, Ma-
thæus tortus Cardinali Bellarmino a-
cellis; distortus sane Doctor, tortuosa Me-
tæologia imbutus; auctor obscurus;
quidem prorsus incognitus, Et parum ut op-
nor, ex ullis suis opribus orbi notus, qui
non igitur perditum nebulonem arbitretur,
qui non in refutando tantum Rege, sed etiam
salumniis onerando, prima artis suæ rudi-
mentis

menta posuerit? verum quisquis totius libri Sæc. XVII.
 seriem accurate perpenderit, illum Cardinali A. C. 1607.
 certe potius, quam illius Ministro imputave-
 rit..

Postea hunc librum Bellarmino
 attribuens præprimis illius scribendi
 modum suggillat, eoquod Cardinalitiam
 dignitatem cum Regia componere vo-
 luerit, pluraque convitia in Regem evo-
 muerit, novies disertis verbis eum men-
 tiri pronuntiarit, & septies falsi argue-
 rit, nec ipsi nec nomini suo parcens,
 modo, prosequatur Rex, affirmarit,
 Clementem Pontificem sensisse: Me non ab-
 horrere a fide Catholica; modo me in Sco-
 tia Puritanum, & Protestantium inimicum
 extitisse, alibi concludit, quia Jacobus non
 est Catholicus, hoc ipso hæreticus est: ite-
 rum, ex Christiano Calvinistam fecerunt:
 alio loco, neque omnino verum est, Jaco-
 bum nunquam deseruisse Religionem, quam
 primo susceperat, & posteaquam Juliano
 Apostatæ me contulisset, hoc argumento
 rem concludit, cum Catholicus non sit, ne-
 que Christianus est.

Postmodum Rex ad rem ipsam pro-
 grediens observat, quod hic Author
 nunquam ad id, in qua causæ cardo
 vertitur, recta respondeat, eoquod Rex
 probare intenderit. I. In fidelitatis Sa-
 cramento nil nisi obedientiam civilem
 contineri. II. Potestatem in Reges a
 Pontificibus inique usurpari: primum

N 2

vero

Sæc. XVII. vero Author duntaxat confutat inferendo, si hoc juramento jus Reges exauCTORANDI Pontifici negetur, ne quidem excommunicandorum potestatem & Primatum ei relinqui, quod posterius tamen nemini unquam Catholico dubium fuit, circa potestatem autem Christianos Reges exauCTORANDI, Rex ceteros Principes his verbis alloquitur: *Non dubito, quin pro Imperii vestri Majestati injuriam tam indigne auctoritati vestre illatam sitis graviter laturi: præsertim cum illis omnibus e vestro numero, qui Romanam amplectuntur Religionem, hoc magis quam mihi, providendum sit. Nam cum me hæreticis adnumeret, cum Juliano Apostatæ æquet, extra caulam etiam, gregemque Pontificium, esse putet, necesse est. Eodem itaque jure cum Ethnicis Principibus censendus sum, in quos ipse nihil posse Pontificem fatetur. At vos de Pontificio greges estis: vos magnus ille Pastor instar ovium ad occisionem ducere pro libidine sua potest.*

Paucis interjectis rursus Rex Auctor objicit, quod hoc juramentum nihil aliud esse præter antiquum Primatus juramentum ab Henrico VIII. impostum falso crediderit: attamen inter utrumque hoc jusjurandum eo ex capite nullum esse discrimen luculenter comprobabat P. Liberius a Jesu Carmelita Excalceatus Collegii de Propaganda fide studio

studiorum Præfectus in suo tractatu de *Sæc. XVII.*
prætensio Primatu Anglicano. *A. C. 1607.*

Fufius autem excurrit Rex compro-
 bando, Pontificibus nullum esse jus
 in Principes, allatisque hanc in rem
 pluribus exemplis nominatim contra
 ipsum Bellarminum pugnat: eoquod
 Regem dixerit esse hæreticum, hanc a
 se labem absterfurus hæc addidit: *Vel*
ipso jure Pontificio, antequam hæreticus
publica sententia renuntiatus fuero, non est,
ut populus meus auctoritatem meam defu-
giat. Equidem si privati tantummodo ho-
minis personam sustinerem, causamque co-
ram ipso ac Cardinalibus in Conclavi suo
dicerem; credo, difficile foret hæreticum me
evincere, si ex antiquis ipsorum Decretis &
Canonibus judicium hoc exercere vellent.
Primum enim, quicquid Cardinalis in con-
trarium asserat, non sum Apostata, qui
non modo in eadem, quam hodie profiteor,
Religione semper ab ipsis incunabulis innu-
tritus fuerim: sed & Patrem, paternum-
que avum, idem de fide sentientes habuerim,
ut nec ex ipsorum regulis (cum in eorum
nunquam Ecclesia fuerim) proprie hæreti-
cus dici possim. Regina autem Mater mea
Augustæ memoriæ, quamquam in ea Reli-
gione persliterit, quam a teneris imbiberat;
tantum tamen a crassioribus quorundam Pa-
pistarum superstitionibus, & nuperis Jesui-
tarum dogmatibus absuit, ut & Archiepi-
 N 3 scopo

Sæc. XVII. scopo illi, qui me Baptismatis fonte ablus
 A. C. 1607. rat, interdici curaverit, ne saliva inter ce-
 remonias uteretur. Et quidem mos gestus
 imperanti, omiffaque res illa, fæda fan-
 magisque ad inimicum Christi derisum, quam
 ad imitationis pietatem inventa. Ejus verò
 hæc fuerunt; nolle se, ut impurus & in-
 venerea infectus presbyter, in os infantis
 sui inspueret, quin & Baptisterium, in
 quo salutari aqua tinctus sum, hinc in Scoti-
 tiam, Serenissima & immortalis memorie
 Elisabetha transmiserat; quæ etiam me per
 legatum de fonte suscepit: quæ quidem in
 Religione quid senserit, Pium V. non la-
 tebat. Ac ut clarioribus argumentis illam
 gloriosissimi nominis Reginam, meam Ma-
 trem, a superstitionum ineptiis vindicem, et
 asseverare possum, me nullis literis, quæ
 ab ea frequentes habui, ad Pontificiam reli-
 gionem fuisse invitatum. Supremis quoque
 verbis Præfectum domus suæ, nobilem Scoti-
 tum, qui hodie vivit, & in meis domesti-
 cis est, his mandatis ad me perferendis on-
 ravit: quamquam ipsa diversæ Religionis
 esset ab ea, in qua, Dei beneficio, mihi
 ducari contigit; nolle se tamen me ad sua
 sacra vehementius hortari, nisi mihi muta-
 tionem illam, conscientie secreta vis persua-
 deret. Si probe sancteque viverem; si se-
 dulo jus redderem, & commissos mihi po-
 pulos prudenter, pieque gubernarem, non
 dubitare se, quin bene mecum ageretur; &
 possem

possem in ea, quam colebam, Religione per-
 severare. Non sum ergo Apostata, qui nec
 ejus fidei desertor, quam partim parentum
 meorum tenuerunt, partim arbitrio meo per-
 miserunt. Nec si illorum ritibus Baptis-
 mate ablutus, nihilominus ab iis in Religio-
 ne dissentio, ideo aut Apostata aut hæreti-
 cus dici possum: cum de Baptismi substan-
 tia nulla sit lis inter nos, omnesque bap-
 tizemur in Nomine Patris, & Filii, & Spi-
 ritus Sancti: atque ita in hoc doctrinæ ca-
 pite nulla est inter nos controversia.

Sæc. XVII.

A. C. 1607.

Quod autem me hæreticum arguunt;
 nunquam equidem me pudebit fidei meæ ra-
 tionem reddere, & ut jubet Apostolus, il-
 lius spei, quæ in me est, is ego sum Catho-
 lico-Christianus, qui in tria fidei symbola,
 Apostolicum, Nicenum, & illud Athanasii
 libens jurem; quorum duo posteriora primi
 paraphrasim continent. Hæc in eum sen-
 sum interpretor, quem illis esse voluerunt
 Patres, atque Concilia, a quibus sunt con-
 dita atque descripta: quibus quidem Sym-
 bolis, quotquot sunt in Anglia Ministri sub-
 scribunt, cum ordinantur. Sed & aliis
 omnibus Symbolis, tanquam legitimis &
 orthodoxis assentior, quæ, vel a Concilio
 aliquo publice, vel privatim, ab antiquis
 Patribus, in ejusmodi hæreticos conscripta
 sunt, qui ipsorum sæcula pestifera aliqua
 doctrina infestant.

N 4

Prima

Sæc. XVII.

A. C. 1607.

Prima quatuor Generalia Concilia, tanquam Catholica & Orthodoxa veneror, atque recipio: quæ & publica Ordinum nostrorum sanctione recepta sunt, & ab Ecclesia nostra pro Orthodoxis habentur. Patribus autem eam venerationem exhibeo, quæ nec ipsi majorem optarunt, nec Jesuitæ reverentiam unquam detulerunt.

Postea circa cultum Sanctorum profitebatur Rex, quod illorum memoriam colat, tot tamen nugis, quæ in Novitiorum Sanctorum actis perscribuntur, credulitatem suam deludi non ferat, Beatam Virginem tamen credat esse benedictam in mulieribus, Christi & Dei Matrem super omnes Beatorum ordines ad caelos elevatam, nec audeat ipsam irrisioni habere, in ceteris vero articulis se cum Sectariis sentire professus subjungit, Episcopos esse in Ecclesia tanquam institutionem Apostolicam ac ordinationem divinam contra Puritanos & Bellarminum semper sensi, qui negat Episcopos a Deo immediate suam jurisdictionem accepisse: sed nil mirum, a Puritanis eum stare, cum Jesuitæ nil aliud, quam Puritano-Papistæ sint. Se autem nullatenus esse Puritanum, variis rationibus ostendebat Rex: postea Garnetum, Grienwellum & Oldcornium Jesuitas conjurationis pulverariæ conscios fuisse declarans, queritur, quod in Martyrologio nuper excuso inter Anglos Martyres recen-

recenseantur. *Ex his, addebat Rex, Sæc. XVII. A. C. 1607.*
 perspicitis, quam audaci impudentia Author ille veritatem ipsam tot publicis testimoniis fultam, mendacii insimularit; qui & generaliter Jesuitarum nullum hujus conjurationis conscium ac participem extitisse asseruit (ita enim in illo suo libro scribit) nec ipsum Garnetum ad proditionis secretum aliter quam sub confessionis sigillo pervenisse, sed si primum hoc esset mendacium, quod de summis Angliæ rebus a fugitivis meis Sacrificulis ac Jesuitis confictum, sparsumque fuisset, facile esset forsitan huic malo remedium invenire, quin & monasteria pleraque apud exteros, & Jesuitarum Collegia, in parietibus depictas habent istiusmodi fabellas; & transfugarum libri pleni sunt impudentissimis id genus figmentis.

Tandem prolixæ suæ orationi finem imponens subjunxit: Spero vobis patefactum esse, nihil in me Pontificem suis Brevibus, nihil istos Apologiæ meæ oppugnatores his libellis esse molitos, quod non Regibus omnibus, liberis Principibus, ac rebus publicis æque ac meis rebus perniciosum & excitiabile videatur: nunc finem scribendi faciam, conceptis ad Deum votis, ut securitatis veternum excutiat, quo & nos hætenus, & nostri multis sæculis decessores torpuerunt: ac ut nobis mentem injiciat, primum serio cogitandi,
 N 5 quid

Sæc. XVII. A. C. 1607. *quid ad Evangelii plantationem & propagationem, ex conscientia secundum divini verbi præscriptum præstare teneamur, nostri illius veri ac unici Pastoris imperio ac voci, quam in Scripturis audimus obtemperantes, (nam & oves suas vocem suam audituras ipse prædixit) non inanibus, fluxisque & pravis hominum traditionibus attendentes, deinde ut Sceptrorum nostrorum securitati mature prudenterque consulamus, nec Babylonicum illum Monarcham latius serpere, & quotidianis in nostra jura victorius grassari patiamur. Quod si Dei, cujus in terris Legati ac Vicarii sumus, benignitas ea est, ut suam causam cum nostra, spirituales libertatem cum temporali voluerit esse conjunctam; quo studio, quo ardore animi in id negotium incumbere nos oportet, qui nostris laboribus in regno cælorum æternæ beatitudinis præmium scimus esse repositum; interim autem in hoc sæculo temporalem sceptris nostris securitatem, ac quietem comparabimus.*

Huic postmodum epistolæ Rex catalogum subjecit, in quo præprimis viginti mendacia, quæ Matthæum Tortum suo libello inferuisse credidit, confutanda agreditur, postea eidem quinque errores historicos exprobrat, ac denique, prorsus tamen absone, eum quatuor nova dogmata procudisse affirmat. Ceterum valde dubium est, an cuncta hæc

hæc scripta quæ Jacobo Montacu-
tio Francofordiensibus literis, excusa
anno millesimo quingentesimo sexcen-
tesimo octogesimo nono prodire, ex
calamo & cerebro Jacobi Regis proflu-
xerint: Utut autem res se habuerit,
certum est, eadem a P. Andrea Eudæ-
mone - Joanne fuisse confutata, ac
Bellarminum anno Christi millesimo
sexcentesimo undecimo, edito parallelo
vindictatum: Insuper Jacobus Rex hisce
suis scriptis se plurimorum etiam Pro-
testantium censuris obnoxium reddidit,
his eidem nimiam erga Catholicos pro-
pensionem exprobrantibus, aliis ob im-
modicam scientiæ suæ ostentationem,
crebrosque prudentiæ, ac judicii lapsus
non sine veritatis dispendio eum car-
pentibus, quamplurimis denique vitio
vertentibus, quod laborem Regiæ di-
gnitati parum consentaneum assumpse-
rit, cum potius e Regia Majestate sit
edicta & decreta condere quam schola-
sticis quæstionibus scientiæ suæ expe-
rimentum facere.

§. LXXVI.

*Ejusdem Regis responsum ad Bellar-
mini epistolam Blackwello
scriptam.*

Non

Sæc. XVII.

A. C. 1607.

*Opera Regia
Jacob. I.
pag. 120.*

Non minus fuso calamo Jacobus Rex
refellere aggrediebatur Bellarmini
literas ad Blackwellum Archipresby-
terum datas. Præprimis igitur demon-
strare nititur, quod Bellarminus quæ-
stionem a præsentis negotio prorsus alienam
pertractarit, confundens juramentum
Primatus ab Henrico VIII. introdu-
ctum cum Juramento fidelitatis: hanc
in rem profert prioris Sacramenti verba
simulque quatuordecim propositiones ex
Bellarmini epistola extrahit, quas omnes
juramento fidelitatis contrarias esse
asserit. Postea juramentum a se indu-
ctum auctoritate Conciliorum vindicare
fatagit, nil tamen aliud comprobatur,
nisi quod gravissimis pœnis obnoxii sint,
qui conjuratione Sacramentum fidei suæ,
quod pro patriæ, gentis, vel Regiæ
salutis conservatione polliciti sunt, teme-
raverint, vel Regem necare, aut pote-
state Regni exuere, vel ejus Regnum
usurpare attentaverint. De hoc autem
Catholicorum nemo unquam dubitavit,
nec circa hoc difficultatis cardo verti-
tur. Porro in suo juramento nullum
fidei articulum definiri ait, præcipuum
vero negari dissimulat, nec id mirum,
quia ex suæ sectæ principiis *Primatus*
Divo Petro ejusque Vicariis abnegan-
dus erat. Acrius autem in Bellarmi-
num invehitur, eo quod hic affirmarit,
nun-

nunquam Romano Pontifici probatas Sæc. XVII.
 fuisse Principum cædes: oppositam ve- A. C. 1607.
 ro, ut evincat, plurima congerit exem-
 pla, quibus tamen unice evincitur, quod
 Pontifices tanquam Pastores errantium
 ovium scelera in fidei & Ecclesiæ detri-
 mentum, redundantia castigarint. Quo-
 niam vero Bellarminus Juliani Apostatæ
 adduxerat exemplum, quo is Catholi-
 cos eo redegerat, ut vel idololatriam
 vel læsæ Majestatis crimen admitterent,
 Jacobus Rex discrimen ostendit ex eo,
 quod Julianus fuerit apostata, ob solam
 fidem Christianis infestus, eorum inte-
 ritum sibi proposuerit, ad Idololatriam
 induxerit, dolisque eos nec opinantes
 irretire voluerit, Jacobus econtra sit
 Christianus, bonos cives duntaxat a
 perfidis proditoribus secernere, Chri-
 stianam Religionem in pacata Republica
 florentem conservare, seu subditos suos
 ad fidei & debiti obsequii professionem
 inducere intenderit, & contra hoc ju-
 ramentum, etsi perspicuum & minime
 obscurum sit, cuilibet tamen desuper
 suas dubitationes proponendi liberta-
 tem concesserit. Præterea indignatur
 Bellarmino, quod Blackwello Eleazari
 exemplum proposuerit, illud autem in-
 epte ab eo allatum asserit, eo quod Elea-
 zar a suilla abstinere potuerit, non
 item Blackwellus ab hoc juramento,
 quia

Sæc. XVII. quia nullibi in Sacris literis prohibitum,
 A. C. 1607. fidelitatem Regi debitam juramento firmare: Eodem modo dissolvere nititur D. Basilius exemplum, asserendo, quod a Valente Imperatore Sanctus hic Doctor ad Arianismum fuerit pellectus, Blackwello autem nihil in Religione immutandum fuerit, præterea Basilius Cæsari obtemperasset, nisi lex Divina obstitisset, fidelitatem econtrario Deus jubeat. Basilius denique magni fecerit amicitiam Principis cum pietate conjunctam: Blackwellus autem a Bellarmino jubeatur gratiam spernere, quam salva pietate posset amplecti. Postea alata SS. Petri & Marcellini exempla excutiens præfato suo discrimini rursus institit. Prolata autem Pontificum testimonia enervaturus ait, quod Bellarminus Pontificum Romanorum auctoritatem suis ipsorum decretis confirmarit. Omnes autem hæ Regis responsiones vitioso huic fundamento inniti videntur, quod ipsius juramentum, præter obedientiam civilem, non etiam includat Spiritualem atque Ecclesiasticam; attamen obedientia, *mere civilis* apta non est ad *dignoscendos Catholicos* a Protestantibus. Præterea ea, quæ ibidem de Sanderò dicta sunt, magis tamen observandum venit, quod Jacobus Morum & Roffensem ex Martyrum albo expuixerit,

xerit, affirmans, hunc ob politicam dun-
 taxat causam, illum ob læsæ Majesta-
 tis crimen ab Henrico VIII. neci fuisse
 datos: cum autem negare haud posset,
 ambos ob defensum Pontificis Prima-
 tum, quem sibi Henricus adscriperat,
 mortem oppetiisse, hinc Primatum An-
 glorum Regum Sacri Codicis auctori-
 tati inniti asserens subjunxit: *illud per-
 suasissimum habeo ex Dei verbo, ad cujus a-
 mmissum gravia fidei dogmata exploranda
 sunt, Primatum Regium melius defendi posse
 & imposterum spero semper defensum iri,
 tanquam verum & proprium Christiani Re-
 gis in suis ditionibus officium, quam ille suas
 poterit Regum degradationes, & dejectione-
 nes, & ceteras adversus sacram Majesta-
 tem contumelias, & scabiosa dictoria, qui-
 bus tum priora illius scatent volumina, tum
 nuperi adversus Venetos libelli.*

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Hanc in rem varia Sacræ Paginæ
 protulit testimonia, quæ hyperbolicis
 honoribus, quos Bellarminus summis
 Pontificibus passim in suis libris attri-
 buit, opponi ostendit. Tandem suam
 responsonem his verbis concludit: *A-
 pud bonos subditos contendo, ut maneat
 in veritate, nec transmarinis præstigiis pa-
 tiantur se ab officio & nascendi jure mihi
 debita obedientia abduci, denique ceteros ob-
 testor, in quorum manus hæc nostra ve-
 nient, ut positis tantisper affectibus candide
 judi-*

Sæc. XVII. *judicent de nuda & infucata rerum veritate,*
 A. C. 1607. *quo calumniarum atræ nebulæ, quibus in-*
justissime premor, tandem evanescant, con-
stetque omnibus unicam illam mihi & scri-
ptionis & editionis causam extitisse.

§. LXXVII.

Donawerthensium Lutheranorum per-
vicacia contra Cæsaris mandata.

Merc. Gallo-
belg. l. 30.
tom. 8.
Annal. Boic.
Adlzreit.
p. 3. l. 2.

I neunte hoc anno Donawerthani Pro-
 testantes ob iterato violatam Reli-
 gionis pacem a Cæsare comparere iusti
 respondere præsumebant, quod Cæsa-
 reum hoc decretum *per subreptionem* fuis-
 set impetratum, nuperi autem tumultu
 causa non penes Magistratum, sed
 populum, qui frænari haud potuisset,
 relideret: hoc responsum die vigesima
 Januarii Augustano Episcopo commu-
 nicarunt. Non latuit Cæsarem frivole
 hujus excusationis falsitas, nihilomi-
 nus, ut tumultuantis populi audaciam
 quam uti causabantur, Magistratus im-
 potentia coerceri non valuit, potentiori
 auctoritate reprimeret, & Catholicos
 ab injuria & violentiis tueretur, die
 decima sexta Martii indicta proscrip-
 tionis poena civibus rursus præcepit, ne
 Catholicos in piis consuetisque Reli-
 gionis suæ exercitiis, præsertim proxi-
 ma supplicatione ullo pacto turbare au-
 derent:

derent: simul autem Maximiliano Bava- Sæc. XVII.
riæ Duci mandatum dedit, ut Cæsa- A. C. 1607.
reo nomine per se vel suos Delegatos
Catholicorum securitati prospicere vel-
let: ipsemet quoque Cæsar ad Senatum
litteras dabat clementia plenas, quibus
eos paterne monens significabat, quod
Pacis Religiosæ tuendæ officio obstri-
ctus ad servandam Magistratus aucto-
ritatem, arcendamque injuriam, pote-
statem suam delegasset Bavarix Duci,
proin eidem debito cum honore morem
gererent.

§. LXXVIII.

*Senatus consultum a Lutheranis con-
tra Catholicos Donawerthanos
promulgatum.*

Igitur Maximilianus Dux, ut Cæsareæ Struv. Hist.
Majestati & Religioni Catholicæ gra- Germ. Pa-
tificaretur, die vigesima tertia Aprilis riod. 10.
binos e suis Consiliariis auctoritate præ- sect. 7.
stantes, ac nonnisi sex septemve famu- Thuan. l. 138.
lis stipatos Donawertham ablegat, ut Relat. Do-
quieti publicæ Cæsaris nomine consu- naw. Germ.
lant, suaque præsentia proximam sup- Adlzreit. l. 6.
plicationem ab hæreticorum injuriis
vinditent. Hi ergo Senatum exhibitis
Cæsareis mandatis rogabant, ne Ca-
tholicis impedimento aut molestiæ ef-
set. Ast brevi compererant delegati,
Hist. Eccles. Tom. LIV. O quod

Sæc. XVII. quod ipsemet Magistratus cum fœderis
 A.C. 1607. suæ civibus colluderet, & quod Wur-
 mius & Smitius Consules sese etiam tur-
 barum Duces præberent; hi enim cur-
 cta Cæsaris mandata, necnon Bava-
 ricam commissionem & citationes fu-
 diose supprefferant, adeo ut Senatorum
 potissimi, civesque ferme omnes horum
 ignorantiam causarentur. Insuper Se-
 natus ac Consules biduo ante delege-
 torum adventum Senatusconsultum
 in publicis oppidi compitis affigere non
 erubuerunt, hujus tenoris: *Si Domi-
 nus Prælati adversus pacem Religionis
 scillis explicatis quicquam novi tentaverint
 nullitati Consules Senatusque obnuntiant
 contestanturque pro officii ratione atque po-
 testate, se non cedere juri, ejusmodi facinoræ
 alieneve auctoritatis violationem arcuent
 sed civium communitati reservare libertatem
 in tempore, tali jure utendi.*

Hoc edicto velut Seditiois thesser
 civium animi jam aliunde ad quæ-
 audenda projecti ad tam effrænem fu-
 rendi libidinem incitabantur, ut, cum
 Senatus die vigesima tertia Aprilis præ-
 sexto serius, quam decuisset, mense Cæ-
 saris mandatum prælegeret, ipsi abiecti
 omni pudore vociferari auderent, eju-
 modi mandatum viginti festertis em-
 posse, proin ad extirpandos Catholicos
 arctiore civium omnium conjuratione
 opu

opus esse; urgent Delegati Senatum, ut ^{Sæc. XVII.} vulgus compescere, atque intra mode- ^{A. C. 1607.} rationis limites continere vellet: verum tantum absuit, ut animi inde placati ad æquitatem flecterentur, quin etiam male feriatu cives indomita magis rabie tumultuari inciperent, atque in Abbatibus, Monachorum, omniumque Catholicorum capita conjurarent, & non modo Delegatos, sed ipsum etiam Cæsarem convitiis proscindere non erubescerent, quinimo eo petulantia progressa est furentium audacia, ut Delegatos læso etiam gentium jure, ubique ludibrio haberent, additis quoque minis, se etiam ipsos, si supplicationem comitari præsumerent, cum ceteris omnibus pessime mulctaturos. Ne vero eorum rabies intra minas stetisse videretur, armati passim concurrebant, seque mutuo ad Catholicorum omnium cædem cohortabantur: Præterea cum e Catholicis civibus duo ensibus armati monasterium peterent, ut supplicationi se adjungerent, hos confestim nonnulli tanto furore invaserant, ut semianimes corruerent: sub idem quoque tempus die vigesima quarta Aprilis Delegati e diversorio ad S. Crucis cœnobium se contulere, quos cum cives in suo diversorio adhuc morari crederent, primo in eorum ædes, postea in ipsum monasterium

Sæc. XVII. rium irruunt, tam Delegatos, quam
A. C. 1607. Monachos trucidaturi, nisi quidam tem-
 pestive obferratis foribus hunc impetum
 cohibuissent. Tum veluti dato signo
 confestim seditiosa fit concursatio,
 paucis primum, postea gliscente tumu-
 tu, a pluribus, denique ab omnibus fer-
 me Lutheranis, qui ultro arma con-
 puerunt, ac ceteris, invitis licet, a
 criminis societatem pertractis, duos
 qui inermes domo prodierant, gravi-
 ter fauciarunt. Mox ubi seditiosorum
 turba satis conferta videbatur, in ce-
 tervis divisi, alii in Senatus Curiam
 convolant, civitatis & armamentorum
 claves magnis clamoribus expetunt, alii
 rursus ad Delegatorum ædes, alii ad de-
 ripiendum monasterium accurrunt.
 omnes denique tanto animi furentis im-
 petu in Catholicorum cædes feruntur,
 ut Magistratus, qui antea non sua mo-
 do conniventia, sed nupero etiam senten-
 tia-consulto prius cives concitaverat,
 nunc illos, etsi voluisset, cohibere haud
 amplius potuerit, unde Senatus, ut se-
 ditiosos hosce tumultus reprimeret,
 Delegatis rogatus respondit, cives Lu-
 theranos jam in sua potestate non esse
 nec posse se tam Delegatis quam Catho-
 licis omnibus vitam, securitatemque pub-
 liceri, nisi a supplicationibus illis abstin-
 neretur, quas ipsi etiam cum vitæ, bo-
 norum

norumque dispendio haud amplius to- Sæc. XVII.
 lerare decrevissent. His ita constitu- A. C. 1607.
 tis, Deputatis bene visum est, furori
 cedendum, intermissa interim suppli-
 catione.

§. LXXIX.

*Proscripti Donawerthani Protestan-
 tes ad Cæsaris clementiam
 confugientes.*

Itaque cum nec intentatis pœnis, nec Relat. Do-
 monitis quicquam proficere possent naw. Germ.
 Cæsaris Legati, totius rei successum ad pag. 33.
 supremum Cæsareæ Majestatis tribunal
 referre compellebantur. Mirabatur sum-
 mopere piissimus Imperator Rudolphus,
 eos, qui se puram Evangelii doctrinam
 sequi jactitabant, conculcatis omnibus
 Dei, naturæ atque Evangelii legibus
 ubique tanta ferocia in Catholicos graf-
 sari, non alio ex fine, nisi ut suam se-
 ctam propagent, quam tamen ipsimet
 duntaxat ideo veram credebant, quia
 Romanum Pontificem velut Antichri-
 stum, Romanamque Ecclesiam, in qua
 eorum Majores enutriti erant, tanquam
 Babylonicam meretricem ab uno altero-
 ve famelico Ministello traduci audiissent.
 Igitur tanta tamque atroci injuria irrita-
 tus Cæsar collatis suorum consiliis die
 tertia Augusti hanc pronuntiari jussit
 O 3 senten-

Sæc. XVII. sententiam : „Donawerthanorum ex
 A. C. 1607. „ceptiones frivola sunt, atque hæc fe
 „rocientis civitatis contumacia *factis no-*
 „toriiis & permanentibus manifestata ad
 „versus tot Cæsaris decreta Rebellioni
 „affinis est: quocirca tam ad asseren
 „dam Imperatoris Majestatem quam ad
 „arcenda ejusmodi facinorum exempla
 „cum nulla resipiscendi spes in refrac
 „taria civitate appareat, Donawerthan
 „in poenas jam antea Cæsaris judicio
 „denuntiatas, reipsa incidisse declara
 „tur, earumque executionem Bavaria
 „Dux suscipiat. „ Promulgato hoc Cæ
 saris decreto quorundam metus simu
 latam humiliationem, plurimorum au
 dacia belli Societatem ex sectæ confor
 tio sperandam, paucorum vero mode
 ratio clementiæ remedium suggerebat.
 Variantia hæc consilia Lutherani cives
 in tabernis domibusque suis excoque
 bant, tandem vero Consul Senatusque
 quorum potissimum intererat, Imper
 ratori supplicem libellum esse porrigen
 dum decernebant, in quo antiqua excu
 satione, atque iterato mendacio die ve
 gesima septima Julii exponebant, quod
 Magistratui (cujus tamen auctoritate
 cives cohibendi remedium a Cæsare
 quarta jam vice exhibitum studiose fuit
 suppressum) insani plebeculæ motus ve
 hementer displicuerint, eos tamen ne
 quive

quiverit cohibere, duos tamen præcipuos hujus tumultus auctores carceri Sæc. XVII. A. C. 1607. manciparit, eadem pœna in cæteros animadversurus, si citra præsentaneum vitæ discrimen potuisset? Ceterum excivibus multi essent insontes, qui non propria temeritate, sed metu & aliorum vi ad communem hanc seditionem abrepti fuissent: Proin Magistratus Sacram Majestatem exoraret, ut pro paterna benignitate, condonata præscriptionis pœna, innocentibus parcere, de fontibus autem pœnas sumere velit.

§. LXXX.

Lutherani Donawerthæ. Cæsaris clementia petulantiores affecti.

Hac supplicum demissione commotus Annal. Boic. Adlzreit p. 3. l. 2. Struv. hist. Germ. per. 10. sect. 7. Cæsar proscritionis executionem differri præcepit, ea tamen lege, ut binos illos, quos carceri dederant, Judicibus delegatis, ceteros autem fontes indicarent, atque ad quæstionem traderent, mandata quoque Cæsarea servarent, horumque sponsonem communi civitatis ligillo munitam consignarent. Hoc decreto instructi Delegati a Maximiliano Duce Donawertham decernuntur, & die quarta Septembris Senatui demandatam sibi provinciam aperiunt, demum per integros sex dies

Sæc. XVII. Senatū & Consules exposita rei gra-
 A. C. 1607. vitate, malique imminentis periculo
 hortantur, ut si quid obsequiosi cordis
 humanique sensus reliquum haberent,
 ad officium & Cæsaris obsequium re-
 dire haud cunctarentur. Verum apud
 illos, quos Catholicæ fidei odium in
 sectæ suo fanatismo obduratos detinuit,
 paterna adeo monita nihil profecerant,
 quamvis enim die nona ejusdem Men-
 sis Schenichium & Goggelium Consules,
 duo illa præcipua conjurationis capita
 Deputatis tradidissent, ne tamen ceteri
 seditionis rei in quæstionem vocarentur,
 deprecati sunt, alterave die, quamprimum
 Cæsareis mandatis obedientiam
 a Consulibus fuisse promissam, Sena-
 tus inferior compererat, mox recrudit
 seditio. Insana plebs arma rursus ac
 quarta jam vice corripit, civitatis im-
 perium occupat, alii excubias certis
 stationibus locant, ac ferociores mæ-
 nia portasque præsidiis firmant, binos
 ex infima sæce dictatores creant, &
 conjurant, se nihil eorum, quæ Sena-
 tus Cæsareis Delegatis spondidisset, fer-
 vaturos, nec toleraturos, ut civium vel
 unicus Judicum quæstioni subjiciatur.
 Fervente hoc tumultu Delegati ludibrio
 habiti, & ni furentium Lutheranorum vi-
 ctima cadere vellent, re infecta rursus dis-
 scedere coacti sunt. Iterata hac pervica-
 cia

cia summa quidem Cæsaris indignatio Sæc. XVII.
 ab hisce seditiosis provocata videbatur, A. C. 1607.
 maluit tamen moderatissimus Princeps
 populi hujus obsequium clementiæ tem-
 peramento comparare, quam læsæ Ma-
 jestatis injuriam promerita severitate
 vindicare, aut vicinis hujus sectæ Prin-
 cipibus novas in Imperio turbas conci-
 tandi ansam præbere; haud enim igno-
 rabat Imperator, quod hi refractarii eo,
 quo submissionem simulabant, tempore
 clam cum finitimis Principibus, urbi-
 busque consilia per internuntios agita-
 sent, eosque in rebellionis societatem
 amplissimis pollicitationibus pellexissent.
 Nihilominus Imperator suis Delegatis
 negotium dabat, ut Mense Octobri Rhei-
 nam vicinum oppidum pergerent, eo-
 que quosdam ex Senatu & Donawer-
 thanis civibus venire juberent: Com-
 parentibus his præstituta die, Delegati
 spem veniæ fecerunt, dummodo Cæ-
 sareis mandatis obtemperarent, ac con-
 spirationis auctores quæstioni traderent.
 Tenuit quadriduum omnino hoc collo-
 quium, non alio conatus successu, nisi
 quod hi Lutherani, se nihil absque to-
 tius civitatis, plenoque Senatus con-
 sensu polliceri posse reponerent, simul-
 que rogarent, ut Delegati pro requi-
 renda omnium sententia Donawertham
 redirent. Cesserunt hi rursus eorum
 O 5 votis,

Sæc. XVII. A. C. 1607. votis, eo regressi die quinta Octobris
 Verum vix civibus horum innotuit ad-
 ventus, cum illico feram in casses actam
 sibi gratulantes inter pocula victoriam
 canere, & postquam mero incaluere,
 tumultuari, probra jacere, minari, ce-
 teraque tentare, quæ ferox temulentia
 fuggerat. Eadem die Delegati re-
 pertractandæ initium facere meditan-
 tur, incassum tamen; quippe Magistra-
 tus unacum civibus adeo mero mada-
 bant, ut nullum sanum iudicium, mente
 vino sepulta, sperare licuerit, minus quo-
 que consultum videbatur, sobrium ma-
 ne præstolari, ubi nil aliud expectare po-
 terant præter sannas, ludibria, ac vio-
 lentias, & quicquid rebellionis insani-
 tibus in manus datura esset desperatio,
 nullo tumultuantis audaciæ tempera-
 mento. Quocirca delegati, ut vitam
 suam furori, ac Cæsaris auctoritatem
 ludibrio subducerent, excubiis minus
 intentis clam albente cœlo, urbe ex-
 cesserunt.

§. LXXXI.

*Proscriptionis executio rursus Maxi-
 miliano Bavaricæ Duci
 demandata.*

*Relat. Do-
 naw. Ger-
 man. p. 49.
 Annal. Boic.
 l. c.*

Tam pervicaci civium improbitate ir-
 ritatus Cæsar Maximiliano rursus
 nego-

negotium dabat, ut ad denuntiatae pro-
 scriptionis executionem nulla habita ra-
 tione progrediretur, nisi Magistratus,
 populusque universus Donawerthanus
 juxta datam prius fidem mandatis Cæ-
 sareis parerent, eorumque statutum de
 Catholicis a jure civitatis excludendis
 abrogarent. Ne vero hæc pœna præpro-
 pere lata videretur, prævie hanc volunta-
 tem civibus denuntiari, ac postea die
 quinta Novembris desuper conventum
 Rhainæ haberi præcepit, hacque ra-
 tione tertiam evadendæ ultionis viam
 obtulit Imperator, cui præstabilius vi-
 debatur servare resipiscentes, si vellent,
 quam nocentes perdere, si nollent. Eo
 igitur convenientibus binis Consulibus,
 totidemque ex intimo, ac sex aliis ex
 inferiori Senatu Deputati significabant,
 quam temere Cæsaris mandata iterato
 contempserint, Religionis pacem ac re-
 cens datam fidem, qua se ad exequen-
 da Cæsaris mandata verbo & scripto
 obstrinxerant, violarint, oblatamque
 reconciliationis viam toties spreverint:
 proin si rebus suis consultum velint, hoc
 unicum ipsis reliquum foret, ut Cæsa-
 ris mandato obtemperantes superiora
 pacta communi consensu comprobarent.
 Hæc oratio aliquantulum molivit Con-
 sulum duritiem, non tamen plene flexit
 ad æquitatem; post crebras enim discep-
 tatio-

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Sæc. XVII. tationes prius conventis quidem sub-
A. C. 1607. scripserant, illos vero reos, qui non
 dum denuntiati essent, alienis judicibus tradere recusarunt, de Catholicis ad Civitatis jura recipiendis nullam fieri mentionem postulantes. Postquam hi civium Deputati Donawertham redierant, post acrem cum plebe altercationem tandem obtinere, ut die decima Novembris decerneretur, ex fortibus illos, quos ipsi ad suum tribunal poscerent, Delegatis esse consignandos, nullius tamen nomen a civibus esse deferendum, demum implorata Cæsaris clementia Catholicis dandum, ut consuetudo eos a civitatis juribus arcendi communi suffragio abrogaretur. Jam jam Senatus Delegati reditum Rhainam versus parabant, Cæsareis hujus deliberationis successum nuntiaturi, cum Rhotius Juris Doctor, quocum rebelles jam antea sua consilia contra Cæsarem excoquebant, die decima Novembris noctu Neoburgo adventans alatis literis valida Protestantium ac præcipue Ulmensium auxilia polliceretur, civesque incitaret, ut æternæ suæ salutis memores nullam sectæ suæ locis præjudicium sua pusillanimitate crearent, nec Cæsaris petito parerent, sed proscriptionis pœnam subirent, eo quod brevi pates Bavaro copiæ in auxilium adven-

adventuræ essent, totaque causâ ab Sæc. XVII.
 omnibus Augustanæ confessionis con- A. C. 1607.
 fortibus in proximis comitiis agitanda
 foret: Hoc promisso Senatus civesque
 velut classico ad novos tumultus conci-
 tati instigante etiam Wurmio Consule
 Viro ad quævis audenda proclivi, Rha-
 nam sequens decretum amandare non
 erubuerunt. „Nihil eorum, quæ nostri
 „delegati promiserunt, servabimus, nec
 „unquam passuri, quempiam civium,
 „præterquam urbanis Judicibus ad quæ-
 „stionem dedi, neque abrogari ea, quæ
 „contra Catholicos sunt constituta: po-
 „tius proscriptionis incommoda tolerare,
 „quam quicquam cedere decrevimus.
 Postea exauctorato Senatu veteri novum
 creant, cives armant, nitratum pulve-
 rem suis distribuunt, in mænibus ex-
 cubias locant: lustrantur cives, selectis
 circiter nongentis ad arma idoneis, pon-
 tis compages solvitur, suburbanæ Do-
 mus, quæ Bavariam spectant, diruun-
 tur, annona advehitur, cuncta demum
 ad bellum contra Cæsarem ac Catholi-
 cos spectare videntur, seditionis facem
 egregie accendentibus tribus Pseudo-
 Pastoribus. Præterea quærentibus no-
 va foedera, sicut fit in desperatis, non
 potuere deesse novi conjurati, conci-
 liante præsertim societatem, odii ac
 sectæ similitudine.

§. LXXXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. LXXXII.

*Urbs promulgato proscriptionis edito
a Bavaris obsessa.*

Cum igitur tumultuantium civium insania lenitatis curationem haurire amplius admitteret, Maximilianus Dux, quod Cæsaris clementia toties oblata non posset, id per obfirmatam armorum violentiam perfringere statuit, quocirca Ægidium Krichs, quem Dux Monachii Imperatoris nomine hac auctoritate munierat, tanquam facialem Cæsareum die duodecima Novembris Donawertham decrevit, eo fine, ut civitatem proscriptionis poena illigatam palam denuntiet, ejus cives Reipublicæ hostes, pacis publicæ violatores, contumaces, aqua & igni interdictos, omni civitate, Imperii beneficio, bonorum societate, & commercio exutos declaret, exponatque tum corpora, tum fortunas omnes liberæ omnium offensionis, & palam, Ulmæ præsertim & Nördlingæ palam proscriptionis programma affigat. Id ubi foecialis Ulmæ exequabatur, a Senatu ad Curiam venire rogatus, mandati sui literas exhibere jussus est: cum autem Ulmenses hunc ipsum a Cæsare eo fine jam bina vice decretum, necnon a Bavarix Duce Cæsaris nomine

nuoc

nunc ablegatum haud ignorarent, hic eis Sæc. XVII.
A. C. 1607.
morem gerere recusabat, pollicitatione
tamen facta, quod Senatus deliberatio-
nem præstolari vellet, eo autem mo-
ram trahente, urbe excedere parabat,
redire tamen rogatus, Curiam acces-
sit, ibidemque Ducis mandatum exhi-
buit, quo spreto Senatus affixum pro-
gramma abstrahi jussit, caussatus, id
absque mandato in alterius territorio
duntaxat privato conatu fuisse promul-
gatum. Jam tum non modo Ulmæ,
sed & Stugardiæ, Nördlingæ & alibi
varii Protestantium conventus habeban-
tur, ut junctis viribus Donawerthano-
rum defensio armis susciperetur, jam-
que eo fine haud contemnendus pedi-
tum equitumque numerus sub signis ha-
bebatur, etiam graviter Lutheranis Prin-
cipibus apud Cæsarem & Bavarum que-
rentibus, quod hæc lis, prætermisso
Spirensi Tribunali contra Imperii & Cir-
culorum leges, ad alienum tribunal per-
peram fuisset pertracta, ac ne compel-
lato quidem Suevicorum Ordinum con-
ventu præpropere, caussis non satis ex-
pensis fuisset judicata, perinde ac si per
Cameralis, ut vocant, judicii erectionem
suprema atque ordinaria Cæsareæ aulæ
jurisdictio, perpetua possessione firmata,
omnique jure Cæsari competens fuif-
set adempta.

§. LXXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. LXXXIII.

Donawertha pactis conditionibus Maximiliano Bavaricæ Duci dedita.

Interim (ut ad narrationis semitam revertar) Maximilianus Protestantium molimina celeritate præventurus ad executionem sibi a Cæsare demandatam intrepide processit, atque asperissimo primum tempore exercitum magnis ærarii sui sumptibus conscriptum urbi admovit, severe tam Ductoribus quam militi inhibens, ne prædam agerent, aut cuius innoxio damnum vel vim inferrent, cujus edicti violationem Joannes Fridericus Moserus Centurio capite luit. Castris ad Donawertham positis, collocatisque circum tormentis ac postulata deditioe cives rem serio agi conspicati, inducias petunt, quæ tamen negatæ fuerunt, ne hujus dilationis opportunitate Protestantium auxilia accersendi spatium daretur. Quocirca oppidani, qui paulo ante nec Cæsaris clementia movebantur, nec ejus potentiam pertimescebant, nunc inexpectato hoc eventu audacia & consilio destituti hærebant, certatim alium alio velut infaultæ sortis causam, & seditionis pertinaciæ suasorem criminante. Senatus tamen instantis mali metu percussus

culus quantocius quosdam decrevit, Sæc. XVII.
qui deditiois condiciones offerrent. Pro- A. C. 1607.

fuit illis vel tunc morem gessisse; postquam enim inter deditiois leges sancitum esset, ut sese Maximiliani arbitrio permitterent, arma mox ponerent, præsidiumque reciperent, Dux severe inhibuit, ne milites, qui his pactis urbem occuparunt, bona civium diriperent, aut quamcunque injuriam inferrent: proin cuncti res suas habuere salvas, exceptis paucissimis, qui voluntario exilio sese damnarunt. Præterea, ne civibus numerosior miles oneri esset, Maximilianus potissimos persoluto stipendio a signis dimisit, retenta duntaxat ea parte, quæ ad subitos casus sufficeret. Postmodum civitas ad pri-

*Jacob.
Probst con-
tra Run-
gium p. 132.*

stinam Regiminis normam revocata, creatus Magistratus, quies instaurata, sine cruoris effusione constituta respubli-
ca, nihilque admodum in Sacris immutatum, sed sui cuique ritus, sua professio atque Religio permessa. Tres vero Lutherani Præcones sibi male conscii, quamvis sæpius, dum res prospere fluebant, se pro grege suo animas posituros sponduissent, nunc velut mercenarii cuticulæ suæ timentes in tempore, quod de Religionis proin salutis periculo agi dicebant, insalutato hospite per averfam Urbis portam auffugere, ex quibus

Hist. Eccles. Tom. LIV.

P Joan-

Sæc. XVII. Joannes Delzerus Afchavii argenteum
A. C. 1607. calicem suffuratus erat: Ceterum ho-
 rum Mercenariorum fuga, ni fallor, ei
 haud vitio verti potest, eoquod ipsorum
 præsentia nullatenus necessaria fuerit.
 cum Magistratus, Nobiles & Consules
 urbium (*) quemvis obvium futorem
 ad prælegendum Evangelium vocatio-
 nis gratia donandi facultatem habuerint.
 His autem diffugientibus Parochiale
 Templum ante quinquaginta annos Ca-
 tholicis vi ereptum vacare, declarabatur,
 exemplo præeuntibus Sectariis, qui hoc
 titulo Monachis & Monialibus aut metu
 dilapsis aut vi expulsis eorum Monasteria
 ac Ecclesias tanquam vacantes sæpi-
 sime occuparunt. Denique præter
 Schmitium & Wurmium etiam Afenham-
 mer Advocatus, Cleminius Archigra-
 mateus, Lintscherus & Crazerus Con-
 sules Monachium capti abducti sunt,
 eoquod ab ipsis civibus tanquam præ-
 cipui seditionis auctores denunciati es-
 sent: de cetero Lutheranis tam plena
 profitendæ suæ sectæ libertas indulta
 erat, ut dum Herpferus Consul octo-
 genarius ad gremium Ecclesiæ redire
 vellet, id eidem concessum non fuerit.

Adlzreiter
l. c.
Relat. Do-
naw. p. 67.

(*) Vide doctrinam Mansfeldiani Superin-
 tendentis Sarcerii in suo libro de ratione ve-
 ram Religionem conservandi. Fol. 287.

nisi prius alius Augustanæ Confessionis Sæc. XVII.
 Consul eundem de caussa & libertate A. C. 1607.
 hujus propositi examinasset.

§. LXXXIV.

*Suevicorum Ordinum Conventus in
 caussa Donawerthana Ulmæ
 habitus.*

Privata hæc Donawerthanorum caussa Thuan. lib. 138.
 mox in publicarum dissensionum in-
 cendium exarserat, sufflantibus Rothio
 Doctore, & quibusdam Donawerthanis
 civibus, qui pœnæ metu urbe exceden-
 tes, ementito Magistratus nomine Ul-
 menses ad ferendam opem sollicitabant;
 jam enim ibidem Wirtembergici Prin-
 cipis, Statuumque & civitatum Prote-
 stantium per Sueviam Conventus ad
 diem sextam Decembris indictus erat,
 eo fine, ut de opportuna Donawerthanæ
 urbi subveniendi ratione deliberaretur.
 Accidit autem, ut quamprimum Wir-
 tembergici Ducis ac Oetingensis Comi-
 tis Oratores, necnon Eslingensis, Nörd-
 linganæ, Hallensis, Hailbrunensis, Me-
 minganæ, Campidonensis, Kaufbu-
 ranæ, Lindaviensis aliarumque Civita-
 tum Deputati Ulmam convenissent, si-
 mul etiam Hochenzolleranus Comes,
 ceterique Cæsareæ Majestatis Legati eo
 venirent, qui Imperatoris nomine Con-
 grega-

Sæc. XVII. gregatos impense rogabant, ne quid hoc
 A. C. 1607. in conventu adversus Cæsaris manda-
 tum decernerent, nec Donawerthanos
 eorum causa legitimo modo jam diju-
 dicata, in contumacia sua confirmarent,
 quin potius demandatam Bavariz Duc
 executionem omnibus viribus promove-
 rent: Ad hæc Legati habita delibera-
 tione hunc in modum reponebant.
 „Dolemus sane, quod conventum istum
 „contra latam adversus Donawerthanos
 „sententiam, Cæsarisque mandatum
 „institutum esse, Cæsar existimet; Nos
 „enim in mandatis non habemus, ut
 „vel de hac causa, vel de sententia in
 „cives lata agamus, sed duntaxat de
 „Cæsare saltem exorando, precibusque
 „humillimis permovendo deliberamus,
 „ut hujus civitatis misertus executionis
 „incommoda in Circulum Suevicum re-
 „dundantia avertere velit, præcipue
 „cum æquitas suadeat, ut licet perver-
 „sorum urbis hujus civium patrocini-
 „suscipere nefas foret, innocentibus ta-
 „men supplicatione subveniatur, ne ipsi
 „cum improbis & perversis eodem sup-
 „plicio involuti pereant, & civitas per
 „hanc executionem a corpore Suevico
 „plane divellatur.„ Hæc cum ageretur,
 nuntius de capta urbe ad Legato-
 rum aures pervenit, hinc ulterior deli-
 beratio supervacanea visa, decretumque
 est.

est, ut negotio ad proxima comitia Ra- Sæc. XVII.
 tisbonensia remisso interim tam Bava- A. C. 1607.
 riæ Dux, quam Electores ceterique Im-
 perii Principes datis literis monerentur,
 ut pro hac urbe suas apud Cæsarem pre-
 ces interponerent. Ceterum responsi
 hujus sinceritas in præfatis comitiis
 eluxit.

§. LXXXV.

*Calvinistarum conciliabulum in Fran-
 cia Rupellæ habitum.*

Quantumvis Henricus IV. Galliarum Merc. Gal-
 Rex jam anno priori Calvinistis pro- lobelg.
 hibuerit, ne Conciliabulum suum, uti tom. 6. l. 2.
 in Vapicensi Synodo statuerant, Ru- Thuan.
 pellis haberent, nihilominus hoc anno lib. 138.
 Mense Martio ibidem congregatis Gal-
 licarum Ecclesiarum Ministris conven-
 tum egerunt, in quo varios sectæ suæ
 articulos stabilire conati sunt & primo
 qui de Deo II. de Sacris libris, ex
 quorum Canone librum Judith, Can-
 tica Canticorum, Ruth, Tobiaë, &
 Prophetiam Baruch & Aggæi, necnon
 librum Machabæorum propter internum
 (ut inquiunt) *testimonium Spiritus Sancti*
 expunxere, in quibus, licet alias non sint
 inutiles, fidei tamen articulos fundari non
 posse statuerunt. III. De homine lapso,
 quem totum sub servitute peccati capti-

Sæc. XVII. vum, nec ullam libertatem ad bonum
A. C. 1607. habere ajunt, nisi Deus eam ei largiatur. IV. De Peccato originali, quod post Baptisma adhuc vere esse peccatum *quoad reatum*, declarant. V. De Prædestinatione. VI. De Incarnatione. VII. De Christo solo Mediatore nostro. VIII. De justificatione ex sola fide. IX. Sanctorum intercessionem & Purgatorium, Vota Monastica, Peregrinationes, distinctionem ciborum, dies festos, auricularem Confessionem & panes rotundos in Sacramento rejiciunt. X. Agunt de Ecclesia, in cujus cœtu adhuc reprobos & hypocritas esse discernunt, excludunt autem Pontifices, quos quidem non rebaptizandos esse censent, infantes tamen eis Baptizandos offerre, nefas esse declarant. XI. De Ministris Ecclesiæ, quos omnes auctoritate pares statuunt, ita ut nulla Ecclesia jurisdictionem in aliam habeat, hancque ob causam *certum ratumque habent, Papam vere esse Antichristum*, postea addunt: *hic articulus tanquam verissimus, conformis Scripturæ & iis, quæ videntur clare impleta, inseratur in omnibus fidei confessionibus de novo imprimendis.* Verum infame hoc decretum effectu caruit; præterquam enim, quod ejusmodi scurrilem Sacræ paginæ interpretationem primo quidem a Lutero excogi-

cogitatam, ab eo tamen nunquam dog-
 maticè definitam, sed nonnisi in Papæ
 odium inventam, cui ipsemet Melanch-
 ton, Grotius & Hammondus subscri-
 bere erubuerunt, pro dogmate præscri-
 bere, stultissimum æque ac maxime im-
 pium sit, insuper summam hac agendi
 ratione proterviam ac petulantiam o-
 stenderunt Rupellenses, dum in con-
 temptum Regis Christianissimi, qui ante
 quatuor annos adversus hanc eorum
 impietatem in Vapicensi Conciliabulo
 stabilitam questus erat, rursus tam in-
 sanum dictærium suis *neccessario credendum*
 proponere ausi sunt, cum tamen hæc
 loquendi libertas, comperto mendaci va-
 ticio. de proxima ruina Imperii An-
 tichristi, *per integrum fere sæculum elan-*
guerit, & saltem per politicam ad obedien-
dum Principibus Papislicis (ut testatur
 quidam Calvinista) *neglecta fuerit, &*
 aliquibus in hac conviciandi licentia ex-
 cedentibus Ministris, Salmerienses in
 sua Synodo necessarium duxerint pro-
 hibere, ne Pastorum ullus Apocalypsin
 sine consilio Synodi Provincialis inter-
 pretari præsumat. Redeamus nunc ad
 ceteros hujus Rupellensis Conventus
 articulos: Agit XII. de vocatione Mi-
 nistrorum, quos per electionem fieri
 oportere ait, ita tamen, ut quando-
 que Deus singulari modo quosdam ex-

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Jur. accom-
pliss. de
Prophet.
 t. I. p. 48.

Sæc. XVII. citet ad restaurandam Ecclesiam. XIII. A. C. 1607. His constitutiones fanciendi potestatem attribuit, & XIV. Excommunicationem tanquam bonam, salutarem & in Ecclesia retinendam agnoscit. XV. Duo tantum adstruit Sacramenta. XVI. In Coena Dominica autem, eos per occultam Spiritus Sancti virtutem carnis & sanguinis Christi substantia nutriri, sed id tantum spiritualiter & per fidem fieri asserit.

§. LXXXVI.

Giessensis Academia a Ludovico V. Hassiæ Landgravio erecta.

Merc. Gallo-belg. l. 31.

Quamprimum Mauritius Hassiæ Landgravius ejurata Lutheri doctrina Calviniani sectam Marpurgi invexerat, mox Ludovicus Hassiæ ac Darmstadii Landgravius ejus Agnatus Marpurgensem Scholam Calvinii erroribus infici, summo opere dolens, in propugnaculo & civitate Giessa novam Academiam erigere statuit, ne ditionis suæ juvenes non sine perversionis periculo Marpurgum contendere cogentur, sed in patria sua a Magistris dogmate Lutheri imbutis literas addiscere possent. Hunc in finem a Rudolpho Cæsare necessariæ facultatis diploma, necnon privilegia Academica sibi benigne concedi supplicabat, quibus

bus impetratis pro eorumdem solemnibus Sæc. XVII.
 promulgatione diem octavam A. C. 1607.
 Octobris indixit, omnesque literatos edito pro-
 gramate ad hanc solemnitatem invita-
 vit. Præstituta igitur die Rector & Pro-
 fessores cum aliquot Studiosis & Mini-
 stris aulicis, qui Academiæ insignia
 deferebant, templum ingrediebantur,
 ubi præsentem Principe Cancellarius ha-
 bita oratione Cæsaris privilegia prælegi
 iussit, atque insignia pro more Acade-
 miæ Ministris distribuit: quibus per-
 actis rursus eleganti latina oratione Cæ-
 sari ac Principi debitæ rependebantur
 grates, lauto convivio totam solemnita-
 tem concludente.

§. LXXXVII.

*Hippona Urbs a Ferdinando Etru-
 riæ Duce capta.*

Hoc item anno Ferdinandus Magnus Thuan. hist.
 Etruriæ Dux expeditionem in Afri- lib. 138.
 cam suscipere statuit, Hipponam ur-
 bem olim a Divi Augustini Natalibus at-
 que Episcopatu celebrem occupaturus.
 Igitur hanc in rem instructa classis, cui
 Silvius Picolomineus & Igiramius præ-
 erant, die trigesima Augusti Liburno
 solvit, cujus cursum non modo vento-
 rum prosperitas, sed & Amurathis, qui
 vicinum littus infestabat, intercipiendi
 P 5 avidi

Sæc. XVII. aviditas propellere videbatur: eo au-
A. C. 1607. tem insequentium sedulitatem tempe-
 stiva fuga eludente, Silvius die decima
 tertia Septembris Galitam contendit,
 inde vero promotio feliciter cursu in Hip-
 ponæ conspectum venit, ubi selecto ad
 excensionem loco tertia post die suos
 milites in stationes ordinesque, ut com-
 mode Ductorum imperia accipere pos-
 sent, provide distribuit, ad omnem stre-
 nue rei gerendæ dexteritatem intentis
 cunctorum mentibus. Excensione au-
 tem facta Passerinus Bellidux Hippo-
 nenses, qui a quodam Christiano jam
 ante viginti dies de hostium adventu
 moniti erant, primo certamine fudit,
 fugavitque, inde vero Guadagnius, ani-
 mosior factus admotis ad arcis portam
 crepitaculis, conscensisque muris urbem
 cum suis ingressus est, Turcis sese stre-
 nue opponentibus, quibus tamen tor-
 mentorum vi repulsis, cum Brancado-
 rus alique Centuriones per aliam por-
 tam in urbem penetrarent, mox inso-
 litus Christianorum, nomen Sancti Au-
 gustini velut belli thesseram invocan-
 tium, clamor audiebatur, victoriæ spes
 & augurium, quo percepto Sylvius ad
 portam mediterraneam crepitaculum
 admoveri iussit, eaque, non tamen sine
 clade & suorum sanguine aperta, præ-
 sidioque firmata Guiscardum ad portam
 mari-

marinam tendere præcepit, licet per Sæc. XVII.
 eam plerique jam Turcæ & Mauri nata A. C. 1607.
 tatu evasissent, aut aquis hausti fuissent,
 ceteris ad Turrim quamdam con-
 fugientibus, qui tamen admotis belli
 tormentis inde ad arcem recedere com-
 pulsi, ea quoque expugnata sese victo-
 rum arbitrio dederunt: Sylvius igitur
 loco potitus, quantocius hostium tor-
 menta muris dejici, atque ad naves
 deduci jussit, omni alio apparatu flam-
 mis consumpto. Postremo ad Moscheam
 strenue adhuc a Turcis certatum quam-
 vis inde etiam brevi dejicerentur, Chri-
 stianis obfirmato ad vincendum animo
 certantibus: Cum ergo ceteri Bellidu-
 ces conferto agmine per varias portas
 in urbem penetrarent, hostibus partim
 cælis partim ad domos fugere compul-
 sis, Sylvius plena victoria potitus est,
 occupatis duodecim signis, quinque
 æneis tormentis, captisque millequin-
 gentis: de occisorum autem hostium
 numero, quoniam in mare sparsos ne-
 mo computat, constare non potuit, in
 urbe tamen & arce interfecti sunt cir-
 citer trecenti septuaginta. Victorum
 autem tam acri ac frequenti conflictu
 pauciores longe cecidere, nec vilia ta-
 men omnia, nec illacrimata suis ca-
 pita, quorum potissimi erant Gabriellus,
 Pallerius, Panhormitanus Equites, Fran-
 ciscus

Sæc. XVII. ciscus Comes Brancaleonius, Alemanus, Baldellius, aliique Ordinum Ductores. Eodem autem die, cum hinc Tunetanis, illinc Algerianis admodum vicinis, diuturnior in urbe mora periculo haud careret, Sylvius cum tota classe solvit, & die vigesima septima Septembris Liburnum appulit, dispoluit in victoriæ signum tormentis, & decantato in gratiarum actionem Hymno Ambrosiano.

§. LXXXVIII.

Ptolomæi Gallii Cardinalis obitus.

*Ciacon. in
vita Pii IV.
Aubery in
vit. Card.*

Inter Cardinales, quos invida mors vita & Purpura hoc anno exiit, quatuor occurrunt, quorum primus erat Ptolomæus Gallius Novocomensis, qui ingenii sui felicitate, morum pietate ac indefessa industria juvenis adhuc a Trivultio & Gaddio Cardinalibus in contubernium recipi, eisque a secretis esse meruit, inde a Joanne Angelo Mediceo, qui renunciatus Pontifex Pius IV. dicebatur, primo Marturanensis Antistes, postea Sipontinus Archiepiscopus suffragante integritatis, doctrinæ, ac prudentiæ merito electus est, demum anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto die duodecima Martii Purpuram ab eodem Pontifice adeptus

post ipsius obitum non modo inter Pres- Sæc. XVII.
byteros Cardinales titulum Sanctæ A- A. C. 1607.
gathæ obtinuit, sed etiam a Grego-
rio XIII. scribendis literis Pontificiis,
necnon Sacræ Concilii Congregationi
præfectus est, Rexit etiam sedente
Sixto V. Sabinam, Tusculanam, Al-
bensem & Portuensem Ecclesias, post-
ea vero Clemente VIII. Romanam Ec-
clesiam moderante Sacri Collegii Deca-
nus Ostiensi præfuit Ecclesiæ. Inter-
fuit septem Pontificum comitiis: scri-
psit quoque Sipontinæ Synodi Consti-
tutiones: tandem die quarta Februarii
ætatis suæ anno octogesimo secundo
Romæ obiit, sepultus in Ecclesia San-
ctæ Mariæ ad scalam: Hujus Viri elo-
gium Venerabilis Pater Joannes a Jesu
Maria Præpositus Generalis Carmelita-
rum Discalceatorum in sui Commentarii
in Cantica Canticorum epistola nuncu-
patoria his verbis eum alloquens com-
plectitur: *Præter purpuræ Majestatem,
qua insigniter clares, & eximias animi do-
tes toti Ecclesiæ salutare & conspicuas,
quas ægre ferres a me recenseri; quod ad
rem propius accedit, maturata ætate in
unius sapientiæ studium totus incumbis; ut
quasi alter David, post tot gesta præclara,
in Abisag Sanamitidis amplexu conquiescas,
agis enim serio de divina charitate perficien-
da, quæ vera sapientia est, ex Dei sincera
notitia*

Sæc. XVII. notitia & amore conflata, cujus certe vi
A. C. 1607. sacram lectionem tam frequentem, ac tunc
 eleemosynas, quas passim erogas, quibus &
 nos fructi sumus, tanquam locupletissimos
 testes posse accire, quibus aperte conuincitur
 generosis charitatis motibus, animus
 lectione in Deum, largitione in proximum
 cieri; & fluxam mundi gloriam & opulen-
 tiam aspernari, qua profecto laborum tu-
 rum coronide vitæ totius opera, & carum
 prudentia caput sapienter exornas.

§. LXXXIX.

Cæsar Baronius Cardinalis mortuus.

*Joan.
 Erythr. Pi-
 naco I. Du-
 pin Bibl.
 Auth. Eccl.
 tom. 17.*

Alter erat Cæsar Baronius Vir æterna
 memoria dignus, Soræ antiquissi-
 ma Campaniæ urbe honestis Parentibus
 anno Salutis nostræ millesimo quingente-
 simo trigesimo octavo die trigesima
 Octobris natus. Hic Verulæ huma-
 nioribus literis, Theologiæ autem ac
 jurisprudentiæ Neapoli operam navabat,
 inde anno ætatis suæ decimo nono Ro-
 mam profectus inter primos Sancti Phi-
 lippi Nerei discipulos Presbyter Con-
 gregationis Oratorii cooptatus est: An-
 no autem Christi millesimo quingente-
 simo nonagesimo tertio postquam binas
 ejusdem Instituti Congregationes erexe-
 rat, Superior Generalis sui Ordinis,
 Clementis VIII. Confessarius, Proto-
 notarius

notarius Apostolicus, ac demum tertio Sæc. XVII.
 post anno ab eodem Pontifice, invitus A. C. 1607.
 licet, die quinta Junii Cardinalis tit.
 SS. Nerei & Achilei, necnon Vaticanæ
 Bibliothecæ Præfectus renuntiatur, pau-
 lopost pluribus aliis dignitatibus atque
 officiis decoratus. Nihilominus ad hos
 omnes honorum gradus tantam animi
 æquitatem & modestiam attulit, ut sem-
 per ad pristinum vitæ genus redire an-
 hellans nunquam obedientiam Congre-
 gationis suæ Rectori abjecerit, nec cla-
 vem sui cubiculi, ut exuta purpura in
 illud se recipere possit, deposuerit. Erat
 in omnes mitis, sibi soli austerus, in
 cibo potuque parcissimus, vigiliis op-
 pido deditus, non nisi quatuor aut quin-
 que ad summam horas somno indul-
 gens, ceteris ad preces & studia dica-
 tis. In Xenodochiis lustrandis novem,
 in Confessionibus excipiendis piisque
 sermonibus ter & quater in hebdomada
 habitis triginta & amplius annos im-
 pendit. Præterea sedis Apostolicæ di-
 gnitatem, Majestatemque tam invicto
 animi robore ac rationum pondere tue-
 batur, ut adversus omnes, qui illius
 auctoritatem imminuere, aut oppugna-
 re attentarunt, nullam potentia, ami-
 citiæ gratiæque rationem haberet, ni-
 hilque, cujusquam periculi metu per-
 tereretur: unde post Clementis VIII.
 obitum

Sæc. XVII. obitum a non paucis Cardinalibus Pontificiæ dignitati cum summa auctoritate ac Majestate sustinendæ plusquam unus alius par esse censebatur. Tandem Vir ille, rei literariæ decus, Orbis Christiani lumen Romæ die trigesima prima Julii decessit. Vixerat annos sexaginta novem, quem numerum cum quondam parieti ignota manu inscribi, in somniis sibi videretur, annorum suorum terminum fore conjectans, mortem, quam a quinquaginta & ultra annis in mente habuit, lætanter præstolabatur. Sepultus est in Ecclesia Ordinis sui Vallicellana, Romæ a Michaeli Angelo Buccio ejusdem Congregationis Presbytero, Neapoli autem ab Hieronymo Binago funebri oratione celebratus, cui etiam Justus Baronius Veracastrensis, qui ab hoc Cardinale Sacramentum Confirmationis Sacramento initiatus, ejusque cognomine honoratus, ipsum filium adoptivum nominabat, elegantiori oratione primo Annalium tomæ præfixa parentabat. Descripsit vitam ejus Hieronymus Barnabeus Congregationis Oratorii Sacerdos.

Vid. lib. 186.
§. 132.

§. XC.

De ejusdem Cardinalis Annalibus aliterque ejus operibus.

Quod

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

Quod Baronius Historiæ suæ Eccle-
 siasticæ opus non sine maxima Ec-
 clesiæ utilitate conscripserit, Sancto
 Philippo Nerio Congregationis Oratorii
 Fundatori in acceptis referendum est.
 Ab eo enim Baronius pro Instituti sui
 more res Ecclesiæ ab ejusdem incuna-
 bulis gestas audientium frequentiæ in
 Æde Vallicellana exponere jussus est,
 quocirca Scriptores tam Græcos quam
 Latinos tum Sacros tum profanos, ve-
 teres, novosque etiam nondum typis
 impressos impigro triginta annorum la-
 bore pervolvere cæpit, tandem vero
 omnium Ecclesiæ temporum Historiam
 concinnare a Sancto Philippo rogatus,
 ut Magdeburgensibus Centuriatoribus
 sese opponeret, tanto oneri humeros
 supponens aggressus est, cujus ampli-
 tudini, gravitæque cujusvis alterius
 ingenii vastitas succubisset, nisi solus
 Baronius plura scribere, quam alii le-
 gerunt, & plura agere, quam alii scri-
 pserunt, ab unguiculis edoctus fuisset.
 Tum vero hoc opus nonnisi a parvis
 initiis, ut in magnis fieri amat, fere in
 immensum excrevit, magnasque hujus
 Viri ingenium meditando, doctrina le-
 gendo, & stylus scribendo, vires acce-
 pit; prius enim veluti primotentamine
 Martyrologium Romanum notis, iisque
 doctissimis illustrare aggrediebatur, post-

Hist. Eccles. Tom. LIV.

Q ea

Sæc. XVII. ea ad majora audenda haud leve calcem
 A. C. 1607. addebat prosper primi hujus laboris suc-
 cessus, quo animatus trigesimo ætatis
 suæ anno manum vastissimo Annalium
 operi admovit, & Apparatum in An-
 nales Ecclesiasticos circa Annum Na-
 tivitatis Dominicæ, necnon primum An-
 naliū tomum publici juris fecit, ac
 demum aliis undecim majoris forme
 tomis usque ad annum Domini mille-
 simum centesimum nonagesimum octa-
 vum totum opus absolvit, quod postea
 Abrahamus Bzovius, Spondanus, Ray-
 naldus & Laderchius usque ad annum
 post Christum natum millesimum quin-
 gentesimum sexagesimum septimum
 continuarunt. Epitomen vero horum
 Annalium ediderunt idem Spondanus,
 Bisciola, & Augustinus Sartorius, cu-
 jus tamen posterior editio Pragensis an-
 ni millesimi septingentesimi trigesima
 sexti longe priori ante sexdecim annos
 factæ auctior est. Scripsit etiam Baro-
 nius fervente dissidio Paulum V. inter
 & Venetos prolixam admodum episto-
 lam Paræneticam ad Rempublicam Vene-
 tam, quam Paulus Sarpus probris ac
 obrectationibus plenam fuisse asserit, mo-
 deratius tamen de ea sentiens Thuanus
 duntaxat reprobatur, quod Baronius in
 hac epistola centonibus e sacra lege mor-
 suo consutis Venetos carpserit, nulla præ-
 missa

Sarp. Oper.
lib. 4.

missa initio salutatione & in fine tantum ad- Sæc. XVII.
 jecta e B. Augustino clausula, ut hæc epi- A.C. 1607.
 stola sit, si velint, correctio, si nolint, testis.

§. XCI.

*Literatorum judicium de Baronii
 Annalibus.*

Idem fatum, quod ceteri omnes *primi Dupin. l. c.*
 optimarum rerum Inventores subiere, *pag. 2.*
 pariter quoque experiebatur Baronius;
 postquam enim aliqua res recens detecta
 ac semel inventa fuit, quam antehac
 a multis retro sæculis nullus aut inve-
 nire, detegere aut aggredi ausus fue-
 rat, jam cuncti a se quoque nullo ne-
 gotio illam inveniri, perfectius atque
 emendatius in lucem proferri potuisse,
 jactitant: Pari modo vix Baronii An-
 nales publicam lucem aspexerant, cum
 illico non pauci Authorem, ejusque hi-
 storiam de pluribus Chronologiæ & Hi-
 storix erroribus, crisis sanæ defectu,
 exigua verum a falso, certum a dubio
 aut suppositio discernendi peritia car-
 perent; non deerant quoque audacio-
 res, qui Historiam Ecclesiasticam, quæ
 tamen per tot sæcula ante Baronium
 neglecta, & confusa jacuit, magis ex-
 actam, completam omnibusque nume-
 ris absolutam se edere potuisse ostenta-
 rent, miro laboris compendio, quod
 Q 2 tamen

Sæc. XVII. tamen unice Baronio in acceptis referre
 A C. 1607. deberent, qui omnium primus vastissi-
 mum hoc juxta ac difficillimum opus
 aggredi ausus est. Haud moror Hæ-
 reticorum cavillationes; hi enim, cum
 Baronium *præjudiciis* abreptum sugillent
 in suis censuris se nonnisi sectæ suæ
præjudiciis obcæcatos produnt, omnia
 quæ pro afferenda Pontificis auctoritate
 te Baronius attulit, velut spuria, apo-
 pocrypha, conficta aut falsa rejicientes.
 Hujus farinæ censor est Lucas Holstei-
 nius, qui se octo falsitatum millia in
 hisce annalibus detecturum, ridicula
 ostentatione pollicebatur. Præterea
 Isaccus Casaubonus calamum adversus
 Baronii controversias & Sacræ Pagine
 interpretationes strinxerat, quem ta-
 men Eudæmon Joannes, Rosweidus, &
 Julius Cæsar Bullingerus Jesuitæ con-
 futarunt. Postea Isacci exercitationes
 Samuel Basnagius prosequatur, hanc
 ultra primum sæculum progressus: sub-
 junxit tamen suos annales Politico-Ec-
 clesiasticos, quorum malam fidem &
 mendacia plures ex Catholicis Scripto-
 ribus detexerunt. Pari lance libra-
 dus est Henrici Hottii liber, ab Augu-
 stino Redingio confutatus. Ceterum
 fat luculenter patet, quod Heterodo-
 xis in Baronii libris non ejus hallucina-
 tiones, sed Romanæ Ecclesiæ defen-
 siones

*Hornb.
 miscell. l. I.
 cap. I.*

fiones displicuerint, prout Joannes ^{Sæc. XVII.}
 Hornbeckius fateri videtur, dum Ba- ^{A. C. 1607.}
 ronium deprædicans subjungit: „eo ex-
 „cepto, id est, nisi tantus Papista fuif-
 „set, qui calamum obnoxium habebat
 „illi Sedi & quod si tam protervo ani-
 „mo pro sede ac doctrina Romana non
 „traxisset quælibet & confudisset, sane
 „istud opus Annalium incomparabile
 „dicerem, cui ob Authoris diligentiam,
 „laborem, & eruditionem, quantum
 „deberet, vix sciret Eruditorum orbis. „
 Verum hanc ipsam ob causam morda-
 cium ejusmodi Momorum judicia pro-
 pter cognitam, qua abripiuntur, cavil-
 landi libidinem ab eruditis flocci haben-
 tur. Saniora longe magisque erudita
 crisi doctissimi Viri Antonius & Fran-
 ciscus Pagi Ecclesiasticam Baronii Hi-
 storiam emendarunt: Denique unius
 „DuPinii crisi subjiciamus, „optandum
 „esset, inquit, ut Baronius sola facta
 „historica retulisset, prætermis-
 „sissis, & studiis partium, fateri
 „interim cogimur, libros illius vastissi-
 „mum complecti argumentum, esse bene
 „digestos, elaboratos cum cura, inge-
 „nuose conquisitos, denique tam accu-
 „ratos, quam sperari & expectari debet
 „ab eo homine, qui primus tam va-
 „stum & difficile suscepit negotium, ce-
 „tera non possumus non laudare me-
 „moriam

Q 3

„moriam

Sæc. XVII. „moriæ pii & eruditi hujus Cardina-
 A C. 1607. „lis, qui plurimum habuit Religionis,
 „probitatis, æquitatis, doctrinæ & Le-
 „ctionis, quique utilissimam præstitit
 „operam Ecclesiæ in illustranda ejus
 „historia, utinam caruisset præjudiciis
 „quæ ipsi patria & educatio inspira-
 „verant, „

§. XCII.

*Anselmi Mazarti Cardinalis
decessus.*

*Ciacon. in
vita Clem.
VIII.*

Paulopost Purpuratorum Collegium al-
 terius non minus sanctitate quam
 doctrina conspicui Cardinalis jacturam
 deplorabat. Erat is Anselmus Mazar-
 tus natione Italus, patria Surrentinus
 qui adolescens Fratrum Capuccinorum
 institutum professus in variis Italiae &
 Franciæ Urbibus mira eloquentia, ac
 sermonis efficacia Verbum Dei annun-
 tiabat, tandem Concionator Apostoli-
 cus nominatus. Obibat plura eaque
 honorifica Ordinis sui officia, in quibus
 prudentiæ, pietatis, ac Religiosæ as-
 pteritatis præclara edidit specimina, ob
 quæ Clementi VIII. percarus ab eodem
 Theologus Congregationis Sancti Officii
 renunciatus, postea nona Junii die an-
 no incarnationis Dominicæ millesimo
 sexcentesimo quarto Cardinalis Presby-

ter tit. Sancti Petri in Monte aureo, Sæc. XVII.
 vulgo dictus *Cardinalis Monopolitanus* A. C. 1607.
 creatur. Interfuit Sacris comitiis, in
 quibus Leo XI. & Paulus V. ad Divi
 Petri Cathedram vocabantur. Fervente
 adhuc controversia de auxiliis gratiæ,
 Anselmus, dum adhuc Concionatoris
 Pontificii munere fungebatur, quon-
 dam Apostolica libertate Cardinales ad
 urgendam hujus causæ decisionem his
 verbis alloquebatur: *Ad vos specialiter
 spectat tollere scandala de Regno Dei, sur-
 gentes succidere spinas, sedare querelas...*
*Irridetur simplicium fides, eviscerantur ar-
 cana Dei, quæstiones de altissimis rebus te-
 merarie ventilantur, insultatur Patribus.*
*... Si judicatis me juste moveri, move-
 mini & vos, ac ne frustra movemini, agite
 pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua
 fulgetis, pro potestate, quam accepistis.*
 Postquam vero a Clemente VIII. ad
 quintum Molinisticæ opinionis examen
 vocatus, cum ceteris Cardinalibus men-
 tem suam aperire jubebatur, Paulo V.
 Clementis Successori intrepida libertate
 judicium æternum interminatus est, nisi
 juxta juratæ promissionis fidem contro-
 versiam hanc brevi dirimeret, Eccle-
 siamque bello intestino discissam Apo-
 stolica definitione liberaret, ipsum quo-
 que Bellarminum huic decisioni oblu-
 etantem durioribus verbis excepit. Prius-
 quam

Sæc. XVII. quam vero Pontifex suum suspensionis
 A. C. 1607. decretum ediderat, percelebris hic Vir
 die trigesima prima Augusti Tusculi re-
 pentina morte extinctus est.

§. XCIII.

*Caroli de Lotharingia Cardinalis
extrema.*

*Cracon. in
vita Sixti V.
Calmet. Hist.
univ. de Lor-
raine liv. 33.
tom. 3.
Landorp.
lib. 10.*

Postremus inter Cardinales, qui hunc
 annum vitæ suæ exitialem habebat
 erat Carolus Lotharingiæ Dux, qui an-
 no restauratæ Salutis millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo septimo die primi
 Julii natus sexto ætatis suæ anno a Gre-
 gorio XIII. Metensis Episcopus nomina-
 tur, postea Mussiponti & Parisiis tan-
 pietati quam politioribus literis operan-
 navans, Canonicus Trevirensis, Argen-
 tinenfis, Moguntinus & Coloniensis eli-
 gitur: mortuo autem Avunculo suo
 Guisio Cardinale Metensis Ecclesiæ pos-
 sessionem die decima octava Julii annis
 undecim natus adibat, administratori-
 bus Nicolao Bosmardo Virodunensi Epi-
 scopo, & Joanne Anazio Metensi Ca-
 nonico. Eo tempore Hugonottæ nil
 intentatum relinquebant, ut in Metensi
 Civitate sectam suam profitendi liberta-
 tem obtinerent, ast spe sua frustrati sunt,
 Carolo, qui tum jam Purpura decora-
 tus erat, vehementer obsistente, ipso-
 que

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

que Henrico III. Rege edictum promul-
gante, quo præter Religionem Catho-
licam cujuscunque alterius sectæ usum
interdixerat. Tandem ingenii maturi-
tate ætatem prævolante Carolus anno
Christi millesimo quingentesimo octoge-
simo quinto profanam & quarto post
anno spiritualement Episcopatus sui admi-
nistrationem annuente Sixto V. susce-
pit. Erexerat ibidem pro Clero suo
Seminarium, coempto hunc in finem
Palatio sat magnifico. Demum anno
a Christi Nativitate millesimo quingen-
tesimo nonagesimo primo Romam pro-
fectus a Gregorio XIV. totius Lotharin-
giæ Apostolicus Legatus renuntiatur,
quo in munere suam auctoritatem eo
unice impendere videbatur, ut colla-
psam Ecclesiæ Disciplinam restauraret.
Hoc Zelo animatus Ordines Sanctorum
Benedicti & Augustini in suæ legatio-
nis ditionibus ad pristinum Instituti fer-
vorem revocabat. Demum mortuo Joanne
Comite Manderscheid Argentinensi
Episcopo Carolus Lotharingius a Catho-
licis Canonicis, anno Christi millesimo
quingentesimo nonagesimo secundo die
nona Junii eligitur, atque a Clemente
VIII. confirmatur, Lutheranis Cano-
nicis Joannem Georgium Brandebur-
gicum pariter eligentibus, quæ dissen-
sio inde exorta post vastatas utrinque
Q 5 regio-

Sæc. XVII. regiones nonnisi duodecimo post anno
A. C. 1607. composita est, haud alio Caroli Ep
 scopi emolumento, nisi quod hunc Ep
 scopatum immodicis suis sumptibus Ec
 clesiæ Catholicæ asseruerit. Ceterum
 tertio post electionem suam anno male
 fici cujusdam fascinationibus tam diu
 vexabatur, ut quantumvis bona ac fir
 ma valetudine, & vegeto corpore ef
 fet, mox tamen ita contabescens dis
 guerit, ut præter incredibiles dolores
 vix pallida cutis ossa operiret, ma
 violentia omnium totius Europæ Med
 corum artem frustrante. Tandem Lu
 linii Marchionis suasu quemdam Am
 brosiani Ordinis Monachum exorcisanti
 gratia insignem Mediolano Romam ac
 cersiri iussit, qui Salvificæ Crucis signi
 soloque divini Verbi imperio usus, Car
 dinali præcepit, ut nunc manum illam
 nunc istam erigeret, pedes moveret, &
 corpus attoleret, nec mora, qui antea
 aridus, totis artubus velut filex im
 mobilis, lecto quasi clavis & cuspidibus
 affixus per biennium hærebat, jam ma
 nus pedesque ad imperantis modum
 movere, se erigere, dorsum inflectere
 prona cervice porrectam Crucem de
 osculari dicto ocyus poterat, mox vero
 ad Exorcistæ mandatum pristinus rigor
 ariditas & paralyfis redibat, cunctis
 obstupescentibus: iterato autem Exor
 cismi

cismi ritu manus, articulosque laxare, Sæc. XVII.
 ac in subjecta charta nomen Jesu pin- A. C. 1607.
 gere jussus, dicto morem gerens, San-
 ctum hoc vocabulum nitide penicillo
 expressit: vix autem manus hoc officio
 fungebatur, cum rursus exarato hoc
 nomine obtorpesceret. Denique Exor-
 cista post duodevicesimum diem, cum
 in Missa Corpus Dominicum elevaret,
 dæmonem adjurante, Cardinalis dolo-
 ribus liber, pristino membrorum usui
 restitutus, paulatim totus invalescere
 coepit, adeo, ut Hallam voti persol-
 vendi Religione profectus, inde ma-
 gnis itineribus Nancæium contendere
 potuerit, relicta tamen semper magna
 in brachiis, tibiisque virium imbecil-
 litate. (*) Anno Christi millesimo sex-
 cente-

(*) Ita refert Michael Caspar Lundorpius,
 qui hæc satis notanda addidit verba: *non dif-
 fiteor, fore non paucos, qui me inania, ludicra,
 commentitia & anilia fingere & scribere dicant,
 totoque cachino hanc paginam perlegant (si modo
 fastidiose perlegerint) sed tota Lotharingia mihi
 pro teste est, ac etiam, qui de familia Catharinæ
 Borbonicæ Augustæ Navarricæ, novatores su-
 persunt, ita ut Herois illa, nulla re alia ad Ca-
 tholicos ritus magis impulsa fuerit, quam vi
 arcana exorcismorum, quorum flagello spiritus
 nequam toties percussus aufugerit, ita ut palam
 polli-*

Sæc. XVII. centesimo septimo die vigesima nona
A. C. 1607. Augusti Metas venit, ubi cum suis Mi-
 nistris de Diæcesis negotiis conferebat
 id ægre ferentibus Canonicis, qui de
 præcipuos Episcopi Consiliarios esse
 caussabantur, supplices, ut hæc dig-
 nitas eis facta servaretur, quod etiam
 Cardinalis lubenti animo eis indul-
 sit. Denique eodem anno Nanzeium rever-
 sus ibidem die vigesima quarta Novem-
 bris annos natus quadraginta placidi-
 sime obiit, in Ecclesia Principe sepu-
 tus. Successorem habuit in Argenti-
 nensi Episcopatu Leopoldum Austriae
 Archiducem ac Passaviensem Episcopum
 in Metensi autem ei successit Giurius
 Cardinalis.

§. XCIV.

Novi Cardinales a Paulo V. creati.

Horum Cardinalium jacturam Paulus
 V. Pontifex maximus nova Purpu-
 ratorum

*Ciac. in vit.
 Paul. V.*

polliceretur ad Orthodoxos reversuram, si Li-
 turgicæ auspiciis, sacrisque Ambrosiani Mon-
 chi ritibus, Cardinalis sanaretur, re perfecta
 haud fidem implevit. Archiater illius, Domi-
 nus de lorme edito opusculo rem delibavit, ego
 omnia penitus ab inspectore, Et operante
 mysticis illis ritibus, homine probo Et minima
 nugaci accepi, atque eo præeunte verbis, omnia
 ista noscenda Et stupenda posteris exaravi. Fe-
 des sit penes Authorem.

ratorum inauguratione refarcire inten- Sæc. XVII.
 tus die decima Decembris tres Pres- A. C. 1607.
 byterorum, & duos Diaconorum Or-
 dini adscripsit, quorum series hæc est.
 I. Franciscus Forgiatus natione Hun-
 garus, Archiepiscopus Strigoniensis
 Presbyter Cardinalis sine titulo. II.
 Franciscus Rupescaldius natione Gal-
 lus, patria Alvernus, Sylvanectensis
 Episcopus, Presbyter Cardinalis tit.
 S. Callisti. III. Hieronymus Xavierres
 natus Cæsar Augustæ in Aragonia Or-
 dinis FF. Prædicatorum Generalis, Car-
 dinalis Presbyter sine titulo. IV. Mau-
 ritius Sabaudus, Cardinalis Diaconus
 Sanctæ Mariæ Novæ, postea Sancti Eu-
 stachii, ac demum S. Mariæ in Via lata.
 V. Ferdinandus Gonzaga Mantuæ Du-
 cis Filius, Cardinalis Diaconus S. Ma-
 riæ in Dominica, ac postea Sanctæ
 Mariæ in Porticu.

§. XCV.

Synodus Provincialis Mechliniensis,

Cum hæreticorum potentia sectas suas
 ubique armata manu invehere ni-
 teretur, ad tuendas Catholicæ fidei ve-
 ritates & extirpandos errores nimis im-
 becille erat remedium Generalium Con-
 ciliarum celebratio, quorum nullum,
 innumeros vero Principum conventus,
 armo-

*Concil. Germ.
 tom. 8.
 Sæc. XVII.
 pag. 766.
 Harduini
 Collect. Con-
 cil. tom. II.*

Sæc. XVII. armorumque Societates illo ævo initas
 A. C. 1607. numerare licet: Nihilominus hoc anno

Matthias Hovius, Mechliniensis Archiepiscopus Provinciale Synodum ad diem vigesimam quintam Junii indixit. Agebatur ibidem de viginti sex disciplinæ Ecclesiasticæ Capitibus, I. primo quidem de Professione Fidei Catholicæ. II. De Sacramentis, & præprimis de Baptismo, ad quem non nisi unum vel ad summum unum & unam Patrinam admitti jubet, simulque præcipit, III. infantes ab hæreticis Baptizatos sub conditione esse rursus tingendos, eo quod hi Baptizare soleant, uno æquam affundente, alio verba proferente. IV. De Confirmatione. V. De Pœnitentia, quod Sacramentum a Sacerdote stante aut extra Confessionalem afferculo non clausum foeminis administrari vetatur. VI. De Indulgentiis. VII. De Eucharistia, ubi præcipitur, ut nunquam unica duntaxat hostia Sacra ad ægrotum, rariusque Sacramentum in publicis supplicationibus deferatur. VIII. De extrema Unctione, ubi error illorum corrigitur, qui suscepto hoc Sacramento testamentum contra non posse existimant. IX. De Ordine, ad quem promovendi jurare jubeantur, quod titulum, quem exhibent, vere & sine ulla fraude possideant. X. De Spor-

Sponsalibus & Matrimonio. XI. De Sæc. XVII.
 Doctrina & Prædicatione Verbi Divini, A. C. 1607.
 ubi Synodus Parochis injungit, ut post
 Concionem lingua vernacula recitent
 Symbolum fidei & præcepta Decalogi
 atque Ecclesiæ. XII. De officio Divi-
 no & ritibus, circa quos adhuc stan-
 neorum calicum usus in aliquibus Ec-
 clesiis tolerari deprehenditur. XIII.
 De Festis & jejuniis. XIV. De Imagi-
 nibus & Sanctorum Reliquiis. XV.
 De superstitione, ubi prohibetur, ne
 ullus omnino exorcizare præsumat sine
 licentia in scriptis obtenta. XVI. De
 Episcopis. XVII. De Archipresbyte-
 ris. XVIII. De vita & honestate Cle-
 ricorum, quibus galeri usus nisi ob ægri-
 tudinem, vel pluviam inhibetur. XIX.
 De Beneficiis, quorum pluralitatem
 Synodus detestatur. XX. De Scholis,
 in quibus Cantum Gregorianum addisci
 præcipitur. XXI. De Seminariis. XXII.
 De elocatione Bonorum Ecclesiastico-
 rum. XXIII. De reparatione Eccle-
 siarum. XXIV. De Regularibus &
 Monialibus, pro quibus præcipit Syno-
 dus, ut quarumcunque Virginum ca-
 pilli ante Professionem non rescentur,
 sed libera earum voluntas per Episco-
 pum antea exploretur. XXV. De Im-
 munitate Ecclesiastica. XXVI. De Sy-
 nodo Provinciali & Diæcesana. Deni-
 que

Sæc. XVII. que huic Synodo finis die nona Mensis
 A. C. 1607. Julii imponebatur, ejus vero decreta
 summo Pontifice recognita ac confirma-
 mata fuere anno sequenti die vigesima
 octava Aprilis. Eodem hoc anno Ber-
 nardus Macicvoifckius Petricoviæ in
 Polonia adversus Socinianos, qui etiam
 Arianorum & Ebionitarum hæresibus
 polluti erant, Synodum celebrabat.

§. XCVI.

*Polonorum Protestantium tumultus
 adversus Sigismundum.*

*Thuan. l. 13.
 Merc. Gal-
 lobelg. t. 8.
 lib. 30.* **M**ulta hoc anno inter Protestantes tur-
 multuarie ac seditiose acta sunt in
 Polonia; cum enim comitia Varsoviæ
 indicta differri cernerent, Ratzivilio &
 Statniskio Ductoribus, Prostovici armati
 Nobilium comitia, quæ ab ipsis *Roc-
 cosch* nominari solent, instituunt, ac
 conducto milite Sigismundum Regem
 suum non alio ex fine, nisi quod Cæ-
 tholicus esset, exauctorare decernunt.
 Id ubi Rex animadvertit, de exercitu
 lectissimo sibi prospexit, tum Craco-
 viam, cui Roccofani inhiabant, anno-
 na validoque præsidio tempestive com-
 munivit. ac postea Nobilibus edixit,
 ut ad decimam sextam Junii diem Var-
 soviæ adessent, de remediis, quibus
 turbæ omnes sedarentur, deliberaturi.

Atta-

Attamen rebelles isti Nobiles sectæ suæ *Sæc. XVII.*
 libertatem armis tueri, & Catholicos *A. C. 1607.*
 junctis viribus opprimere intenti, præ-
 primis inter se sanxere, quod comitia
 a Rege indicta non sint legitima, nec
 decretis ibidem condendis parendum:
 e contrario autem eorum conventus
 summa prudentia, omnique jure con-
 tinuetur: foedus quoque Religionis suæ
 caussa initum invitis Ecclesiasticis sta-
 biliendum, eorumque bona sint diri-
 pienda, ita ut pars aliqua inter Nobiles
 sit distribuenda, Ecclesiastici vero ad
 statum profanum revocandi: Ut autem
 seditionem suam querelis specietenus
 æquis honestare valerent, scriptum quod-
 dam congregatis Proceribus exhibue-
 runt, in quo omnium malorum scaturi-
 ginem ex Concilii Tridentini execu-
 tione, atque executionis modo proma-
 nasse dictitarunt, adversus Jesuitas, ho-
 minum genus hæreticis ubique infe-
 stum, vehementer questi, eo quod in
 hujus Synodi executione primas sibi
 arrogarint, & impedimenta executioni
 objecta, removerint, simulque Institu-
 tum Monarchicum liberæ Reipublicæ
 inimicum atque adversum, libertati-
 que Polonicæ formidandum profitean-
 tur, atque affectata comitate, & ac-
 commodatitia sua Theologia Procerum
 animos ita captivent, ut toti in Polonia
Hist. Eccles. Tom. LIV. R esse,

Sæc. XVII. esse, omniaque posse glorientur, ac
A. C. 1607. postremo Regum voluntatem pro arbi-
 trario suo circumagere soleant, infausti
 plerumque successu. Ceterum, prole-
 quebatur scripti hujus Auctor, non est
 quod quis Catholicæ Religioni metuentem
 interituram eam in Polonia putet, sed
 gravius aliquid in Jesuitas statuatur
 quippe Romano-Catholica Religio tam
 longo tempore in orbe & in Polonia flo-
 ruit, antequam primus Jesuita in ter-
 ris natus est. Christus & Apostoli non
 Jesuitas, sed Episcopos, Doctores &c.
 instituit: nec principalis eorum Institutio
 finis est Religionis sed Aulæ cura, &
 testantur Viri doctissimi, quod Jesuitas
 Catholicæ Religioni in Europa magis
 obstiterint, quam ut eam promoverent.
 Quod si quis objiciat, quod Res-
 publica ob Juventutis institutionem eo-
 rum opera carere non possit: hoc
 nimis vile pretium est æstimandum pro
 patria libertate, quam pro opera ista li-
 citantur, cum aliunde magis commo-
 de quam a Jesuitis eruditæ institutionis
 fructus haberi queant. Dicent alii
 Jesuitas esse bonos Politicos, in rebus
 arduis expediendis dexteritate conspic-
 uos: ast Polonicum Regnum Aulicos
 Politicos, Ecclesia vero Religiosos pios
 & doctos non Politicos exoptat, imo ipso-
 rum dexteritas inter justissimas me-
 tuam

tuum causas a Polonis referri deberet, Sæc. XVII.
 eorum enim dexteritate amissa Suevia, A. C. 1607.

afflicta Francia &c. Ex his ita con-
 cluserat Author: opera igitur danda est,
 ut Jesuitæ extra Regnum abigantur:
 nec audiendi sunt, qui non innocentes
 sed duntaxat noxios, non ex integro
 Regno sed solum ex Aula vel ejicien-
 dos vel saltem ad arctiora Monachorum
 claustra detrudendos censent; nam nec
 causa nec culpa eorum ita dividi & se-
 parari potest, ut alter altero mitius
 aut durius habeatur, cum totum cor-
 pus, omniaque membra ad unum sco-
 pum ferantur: quid autem aulam vel
 nobiliores civitates ab hac peste libera-
 re juvabit, si impune in ceteros graf-
 sari eis licebit? nullus quoque ad ejus-
 modi monasteria recedet; nam omnia
 potius turbaturi forent, quam ut existi-
 mationis, qua se super reliquos Ordi-
 nes Religiosos, universumque Clerum
 eminere credunt, vel minimam jactu-
 ram subeant: non ergo solum ex uni-
 verso Poloniæ Regno sunt expellendi,
 sed & reditu prohibendi, quod fieri po-
 terit, si eorum bona ad publicam Regni
 & Nobilitatis commoditatem, ad con-
 stituendos doctos Professores, vel eri-
 gendam novam Academiam, Scholas
 vel Nosocomia convertantur. Præterea
 sub infamia aut severiori aliqua poena

R 2

caven-

Sæc. XVII. cavendum esset, ne quis de eorum re-
A. C. 1607. vocatione agere audeat, nec juvenes
 ad eorum scholas mittantur.

Hæc pluraque alia invidiose in So-
 cietatem in hoc conventu proposita non
 sine magna verborum contentione agi-
 tata fuere, tandem vero post longa
 altercationes inter Nobiles conventum
 est: ut Jesuitæ non Regno prorsus eji-
 cerentur, sed intra scholas coerciti, ju-
 ventutis institutioni, in qua utilem ope-
 ram navare tunc videbantur, deinceps
 vacarent, atque unus duntaxat in Aula
 retineretur, qui Regi a confessionibus
 esset.

§. XCVII.

*Protestantium exercitus a Regis ma-
 gna clade affectus.*

Thuan. & Merc. Belg. tom. 8. l. 38. Jamjam Mensis Majus instabat, & Re-
 gni Ordines Varsoviæ ad comitia
 undique conveniebant: Eo contenderunt
 quoque Roccosani vel Regem suum op-
 pressuri, vel ab eo, quicquid voluerunt
 metu extorsuri: Hoc animo cum omni-
 bus copiis prope Varsoviæ die decima
 septima Maji castra metantur, ex-
 panso majori vexillo, cui hæc verba in-
 scripta legebantur: *Aut Deo & patriæ
 libere victuri, aut in libertate morituri.*
 Ita nempe nulla Sectariorum rebellio,
 quæ non pietatis ac Religionis obtenta

tege

tegatur. Cum vero Joachimus Bran-
 deburgicus Elector ac Prussiae Dux sui
 Principatus Successionem in his comi-
 tiis confirmari speraret, eo suos decer-
 nebat Legatos, quos quingenti Heiducci
 ex Regis Poloni mandato comitaban-
 tur: at illos Roccosani nefarie ac vio-
 lato jure gentium aggressi multis caesis,
 bonis omnibus, rebusque pretiosis spo-
 liarunt, Rege molestissime id ferente.
 Verum hac violentia nondum satiata
 erat in legitimi sui Regis caedem in-
 tentata Protestantium aviditas: sed in-
 super, in perfidiae suae societatem Ragot-
 sium, penes quem tum summa rerum
 in Transylvania erat, pertrahere molie-
 bantur, misso ad eum Legato, quem
 tamen Ragotsius, etsi & ipse Calvinista
 esset, nequidem admittere dignatus
 eum intra triduum finibus suis exce-
 dere jussit, professus, se Caesaris Mi-
 nistrum, Poloniae Regis amicum, nul-
 latenus autem Rebellionis promotorem
 esse. Interim cum Roccosani ultro ci-
 troque comearent, & Rex, ne in suos
 subditos arma ferre cogeretur, ad pa-
 cem propensum exhiberet animum, mul-
 taque, ni Ecclesiastici obstitissent, Pro-
 testantibus concedere paratus esset,
 Regii Belliduces inscio Rege in rebel-
 les incauta virium fiducia sopitos, nil-
 que hostile expectantes movent, eos-
 que

Saec. XVII.
 A. C. 1607.

Sæc. XVII. que ingenti clade afficiunt, tormentis, A. C. 1607. curribusque eorum magnam partem captis, ceteris in turpem fugam actis. Hac victoria securus Rex Cracoviam se recepit, Roccosani vero animo dejecti nil ultra moliri audebant, sed libertate antea in Regno permessa usum in suam quisque domum recesserunt. Dum vero intestino hoc bello ac seditione Sigismundus Rex angebatur, Carolus Sueciæ Rex ejus Patruus Calvinæ sectæ addictus Weissensteinium munitissimum Livoniæ oppidum obsedit, ac paucos intra dies in suam redegit potestatem.

§. XCVIII.

Pauli V. summi Pontificis Constitutiones.

Bull. magn. Pauli V. Apparatus erud. P. Bin- ner Sæcul. XVII. part. II. cap. 27. Hoc item anno Paulus V. Pontifex Maximus variis Constitutionibus Ecclesiæ disciplinam aut stabilire aut restaurare intentus erat: & primo quidem, cum Capitulum Salisburgense Familias Austriacam & Bavaricam a voce passiva quodam decreto exclusisset, ne videlicet aliquis ex duabus hisce Familiis in Archiepiscopum eligeretur, Pontifex hoc decretum suspendit: Præterea, cum Parochi in Indiis Orientalibus ab iis, qui in Ecclesiis Ordinis Fratrum

trum Eremitarum Sancti Augustini sepul-
 turam elegerunt, majorem, quam si
 in Parochiali Templo fuissent sepulti,
 eleemosynam requirerent, ita ut fideles
 ejusmodi sepulchrum desiderantes pa-
 rem ad minus Parochialibus quoque Ec-
 clesiis eleemosynam ratione sepulchrae,
 relinquere, imo quod pejus erat, me-
 diam partem eleemosynæ, quam pro
 Missis ad animæ suæ refrigerium reli-
 querant, Parochis cedere tenerentur,
 hinc Pontifex suorum Prædecessorum
 vestigiis insistens die decima sexta Fe-
 bruarii statuit, ut Parochi contenti fo-
 rent eleemosyna a Tridentino præscri-
 pta & a Pio V. explicata. Eadem sol-
 licitudine Apostolica idem Pontifex die
 sexto Aprilis pro Congregationis S. Ju-
 stinæ Patavinæ Ord. S. Benedicti incre-
 mento quædam condidit statuta, quæ
 anno sequenti die vigesima prima Martii
 declarabat. Præterea Episcopis in Hi-
 spania contententibus, quod Religiosi
 intra claustra degentes tam in causis
 civilibus quam criminalibus in prima,
 ut vocant, instantia coram ipsis conve-
 niri debeant, Pontifex audita desuper
 Patris Basilii Carmelitarum Procurato-
 ris Generalis querela, die vigesima
 quarta Augusti singulis locorum Ordini-
 nariis inhibuit, ne Religiosos hac in re
 quovis modo perturbare præsumerent.

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

Sess. 25.
 c. 13. Const.
 Pii V. 41.

R 4

Alia

Sæc. XVII. Alia porro Constitutione die vigesima
A. C. 1607. secunda Septembris Canonicis Regu-
 laribus Sancti Salvatoris omnem digni-
 tates extra Religionem ambiendi avidi-
 tatem præcidit. Cum autem Triden-
 tina Synodus præceperit, quod pueri
 singulis Dominicis festisque diebus
 dei rudimenta, aliasque Christianæ vi-
 tæ virtutes edocerentur, ac multi fidei
 Zelo animati hoc munus in se suscep-
 rint, hinc Pontifex, ut eos ad hæc piæ-
 tatis exercitia magis animaret, horum
 Congregationem die sexta Octobris in
 Archi-Confraternitatem erexit, con-
 cessis multis Indulgentiis ac Privilegiis
 pariter quoque die nona Novembris Cle-
 ricis Congregationis Somascæ omnes
 Ordinum Mendicantium gratias & pri-
 vilegia indulgit. Hoc item anno Pon-
 tifex Congregationem B. V. a Nobili
 Matrona de Estonnac Montferrantensis
 Marchionis Vidua pro puellis rite institu-
 tuendis fundatam confirmabat.

§. XCIX.

*Mors Venerabilis Cæsaris de Bus
 Fundatoris Congregationis de
 doctrina Christiana.*

*Quatt.
 Chron. Sæc.
 XVII.*

Inter Viros, qui pueris Christiana do-
 ctrina imbuendis sese singulari studio
 sacrabant, præcipuus erat Cæsar de Bus,
 qui

qui Cobellione anno a partu Virginis Sæc. XVII.
 millesimo quingentesimo quadragesimo A. C. 1607.
 quarto nobilibus parentibus natus mo-
 res suos ex hominum moribus effingere Hist. des
 intentus erat, donec decimo octavo æ- Ordres Mo-
 tatis suæ anno ex pia Sacrorum libro- nast. Jacob.
 rum lectione mundi contemptum edo- Bavois vie
 ctus abjectis fugacium rerum curis to- de Bus.
 tum sese piis exercitationibus impen-
 disse. Postea pauperum puerorum,
 qui parentum aut egestate aut inscitia
 vitæ Christianæ præceptis vix imbui
 poterant, fortem misertus, Avenione
 Clericos congregabat, qui unice ejus-
 modi juventuti ad Catholicæ fidei do-
 ctrinam, & Christiani hominis officia
 efformandæ operam navarent: quocir-
 ca hæc *Congregatio de Religione Chri-*
stiana appellari cæpta primo a Clemente
 VIII. Papa anno Domini millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo octavo, ac post-
 modum rursus a Paulo V. confirmata,
 tandem anno restauratæ Salutis mille-
 simo sexcentesimo decimo sexto quo-
 dammodo Congregationi Clericorum de
 Sommasca fuit coadunata. Illius fun-
 dator Cæsar præ ceteris pio huic operi
 usque ad extremam suam Senectutem
 indefesso studio infudabat, tandem ve-
 ro potiore atque extremam vitæ suæ
 partem Avenione in suis piis erga pro-
 ximum exercitationibus unacum vene-
 rabili-

Sæc. XVII. rabilibus suis Sodalibus integerrime ac
A. C. 1607. arcissime persistebat, etsi cæcitate cor-
 poris a Deo visitatus esset, quam ta-
 men tam invicta tolerabat patientia, ut
 sæpe diceret, ne teruncio quidem ce-
 pere se oculorum usum redimere. Obiit
 ibidem solemnibus Paschatis die decimo
 quinto Aprilis annos natus sexaginta
 tres: Corpus ejus, quamvis menses
 quatuordecim in loco admodum humi-
 do jacuisset, prorsus tamen integrum
 est inventum, atque hodie in ead-
 em incorruptione perseverat. Post-
 eris quoque asceticas quasdam reliquit
 elucubrations. Non equidem hujus
 Congregationis institutum recens a Cæ-
 sare inventum dici valet, cum ante plu-
 rimos annos alii Sacri Ordines. initio
 juxta Sanctissimorum Fundatorum men-
 tem hoc vitæ genus professi essent, qui
 tamen paulatim neglecta potissima hæc
 instituti parte juventutem Philosophicis
 Mathematicis aliisque sublimioribus di-
 sciplinis, velut doctrinæ Christianæ
 pauperibus pueris instillandæ pertæ-
 imbuere cæperunt: hæc autem præ-
 fata Congregatio potissimum eo ex ca-
 pite celebranda est, quod in hodiernam
 usque diem pristino suo Instituto im-
 mota inhæreat.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. C.

*Quædam propositiones a Theologica
Facultate Parisiensi proscriptæ.*

Hand minori Religionis studio Parisiensis Facultas Theologica omni ^{Argentre} ^{Concl. Et} ^{jud. Facult.} ^{tom. 2.} tempore animata suos Doctores ab omni erroris labe aut suspicione immunes servare satagebat. Accidit autem, ut quondam Ludovicus Duhamel ex Ordine Fratrum Prædicatorum Doctor Sacræ Facultatis, dum Carnuti ad populum diceret, novem proferret assertiones, quæ Episcopo ejusque Capitulo offensionis erant. Ut eas revocaret admonitus, illas Theologicæ Facultatis judicio subicere voluit: eapropter Episcopus ad Sacrum Ordinem illas detulit, eo fine, ut deliberarent Doctores, an hæ approbandæ vel rejiciendæ essent. Accitus igitur die quinta Februarii Concionator ad Sacræ Facultatis comitia eas a se quidem prolatas, explicatas tamen fuisse ajebat, quocirca cunctæ a Doctoribus ad id selectis expositæ, censurisque perstrictæ sunt, percepta prius ipsius Ludovici interpretatione. Die ergo decima quarta Februarii præfati Doctores collecti omnium suffragiis ita censuerunt.

Pro-

Sæc. XVII, *Propositio I.* Pro hæreticis oratione
 A. C. 1607. speciali orandum est, & quilibet ora-
 tionem Dominicam, imo etiam Sacri-
 ficium Missæ indirecte juxta intentio-
 nem celebrantis eis applicare potest.
Censura. Hujus propositionis pars pri-
 ma vera licet, durius tamen est verbum
speciale. Altera pars itidem vera, sed
 populo sine expositione non proponen-
 da. *Propositio II.* Christus Dominus
 est Caput omnium hominum, etiam
 hæreticorum juxta doctrinam Divi
 Thomæ. *Censura.* Vera est hæc pro-
 positio cum explicatione Sancti Docto-
 ris. *Propositio III.* In Baptismate ca-
 put infantis tingendum est, etsi extra
 Matris uterum pedis vel manus extre-
 mitas duntaxat prominere, Baptis-
 mus non valeret: si tamen Ecclesia ali-
 ter definivit, aut definiet, ejus decre-
 tis obedire paratus sum. *Censura.*
 Hæc propositio est falsa, temeraria, pe-
 riculi plena, ac matrum conscientis
 scrupulum injiciens, notam tamen huic
 Doctore non inurens, quia se submit-
 tit determinationi Ecclesiæ. *Prop. IV.*
 Privatio gloriæ in puerulis sine Baptis-
 mo decedentibus in claram visionem
 ex Dei misericordia commutabitur.
Censura. Falsa, erronea, scandalosa, Su-
 eræ Scripturæ adversa, Et accedens ad hæ-
 resim est. *Propositio V.* Eleemosyna est de
 præ-

præcepto affirmativo. *Censura.* Vera Sæc. XVII.
 est, additis conditionibus. *Prop. VI.* A. C. 1607.
 Absque Episcopi venia non licet Sacras
 imagines in Ecclesiis exponere. *Censura.*
 Vera est hæc propositio. *Propositio VII.*
 In casu necessitatis aut infirmitatis Pa-
 rochi & Vicarii non consulto Episco-
 po in usu carniū dispensare valent.
Censura. Hæc propositio est vera secun-
 dum praxin locorum. *Propositio VIII.*
 Per Verbum Dei homo occasionaliter
 & per accidens fit contritus, proin pec-
 catorum suorum remissionem obtinet,
 & Christi Domini Corpus duntaxat ve-
 nialia remittit. *Censura.* Prima pars
 propositionis quæ terminatur ad verbum,
contritus, inclusive est vera: secunda
 pars, quæ incipit; *proin* si dependenter
 a prima, est vera, sin minus, falsa &
 hæretica: tertia, non satis explicata,
 & si fiat comparatio ad superiora, est
 prorsus falsa. *Propositio IX.* Verbum
 Dei est magis efficax, quam Missa, quæ
 tamen *ratione contenti* est excellentior,
 quam Dei Verbum. *Censura.* Prior pars
 ut jacet, falsa est, & est comparatio
 iniqua, & inepta, posterior vero pars
 quæ incipit, *quæ tamen &c.* est vera.
 Pronuntiata hac censura Ludovicus in-
 terrogatus, an huic Doctorum censuræ
 stare vellet, se eo fine huc accessisse re-
 spondit, supplicans tamen, ut circa sin-
 gulas

Sæc. XVII. gulas propositiones mentem suam aperire permetteretur: annuente igitur Facultate hunc in modum Ludovicus Doctorum judicio subscripsit. *Ego subscritus Doctor Theologus Ordinis Fratrum Prædicatorum, certum facio, & protestor coram viris selectis præsentibus, me superiores propositiones non alio animo, seu privatim, sive publice in concionibus protulisse, quam quo superius a Magistris nostris sapientissimis fuerunt expositæ, imo me eas expositiones passim addidisse, quæ superioribus determinationibus consentaneæ, & prorsus conformes fuerunt, nec velle aliud sentire, in cujus rei fidem subscripsi die & anno supra dictis. Signatum, du Hamel.*

§. CI.

Liber quidam ab eadem Parisina Facultate proscriptus.

*Argentre
collect. judic.
tom. 2. p. 545.*

Sub idem tempus die secunda Maji Magister Aubryus Theologicæ facultatis comitia accessit, referens, quod ipse unacum Magistro Muloto cujusdam Franciscani Lusitani nomine Jacobi Suarez librum, cui titulus *Theaurus quadragesimalis seu Conciones quadragesimales* quidem approbarit, nunc vero multa falsa & contumeliosa, quæ in eo libro, cum ipsum legerat, omissa fuerant, adversus Parochos contineri deprehenderit,

rit, ac propterea jure merito censura Sæc. XVII.
A. C. 1607.
perstrictus fuerit: Utergo præfatus Ma-
gister hanc labem a se averteret, Fa-

„cultatem rogabat, ne vitio verteret,
„quod multa contumeliosa & injuriosa
„verba in Parochos reperta fuissent in
„concionibus quadragesimalibus a Fran-
„ciscano Lusitano editis, quibus ipse &
„Magister Mulot subscripsisset, quando-
„quidem ita hoc pensum inter se divi-
„sissent, ut unus unam, alter alteram
„concionum partem legeret, ipse qua
„potuit diligentia & sedulitate, quam
„in manus sumperat percurisset, nec
„tale quidquam offendisset, imo & mo-
„nuisset sapientissimum Magistrum Mu-
„lot, ut sibi caveret, ne quid in Cura-
„tos contumeliosum, dictus author ef-
„futiret, & evomeret, quoniam per
„nonnullos rescivisset, tale aliquid ab
„eo suggestu publico inter concionan-
„dum excidisse, itaque petiit a Facul-
„tate, ut ea alium Doctorem in suum lo-
„cum sufficeret, qui hanc provinciam le-
„gendi libros fusciperet.

Die autem nona ejusdem Mensis
ambo hi Doctores ad Sacri Ordinis con-
ventum accersiti interrogabantur, an
præfatum librum approbent vel reji-
ciant, qui tamen se doctrinam in eo con-
tentam nullatenus approbare declarunt,
his verbis: *Nos Doctores, omnibus, quo-
rum*

Sæc. XVII. *rum interest, perspectum facimus, nullo mo-*
A. C. 1607. *do approbare, quæ in concione de vendi-*
tibus & ementibus scripsit adversus Hi-
rarchicum ordinem & Parochos Franciscana
Lusitanus, nec, dum ejus conciones legem-
us, istam in manus nostras incidisse; con-
ob rem facultatem Theologicam judicamus
facere rem suo jure & auctoritate dignam
si hominis contumelias, quibus Parochorum
samam atque æstimationem proscindit, atque
dilacerat, atque etiam propositionem, quæ
probare nititur, neminem obligari inter
diebus Dominicis & festivis missæ Paro-
chiali, sua censura cohibeat, datum die
nona Maji anno millesimo sexcentesimo se-
ptimo.

Die igitur decima quinta Maji ha-
 bito rursus conventu conclusum est, hunc
 librum a quatuor Magistris examinan-
 dum esse, ut ipsi de eo in proximis co-
 mitiis die prima Julii habendis refer-
 rent. Hi autem post maturas delibe-
 rationes censuerunt, præfatum librum
 esse indignum, ut divulgetur, ne ex
 ejus lectione scandala multa in plebe
 orirentur, redarguendos etiam esse Bi-
 bliopolas, quod ejusmodi librum im-
 presserint.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. CII.

*Ejusdem Facultatis sollicitudo circa
gallicam summæ Divi Thomæ
versionem.*

Cum Margarita Valesia, Franciæ Regina post dissolutum ipsius cum Henrico IV. Rege matrimonium anno Domini millesimo sexcentesimo quinto Lutetiam Parisiorum venisset, ibidemque pro sua in literas propensione sexus sui vires excedente, assiduam cum Viris literatis societatem haberet, inter ceteros illo ævo celeberrimum Franciæ Theologum Patrem Nicolaum Coeffeteau ex Ordine Fratrum Prædicatorum eo induxerat, ut primam partem summæ Theologicæ Divi Thomæ ex latino in Gallicum idioma verteret. Paruit Reginæ votis Dominicanus, atque hoc anno primas viginti sex quæstiones Gallice redditas Parisinis literis excudicavit, præfixo hoc libri titulo: *Tentamen primum circa quæstiones Theologicas in lingua vernacula juxta Divi Thomæ, aliorumque Scholasticorum stylum explanatas ex mandato Reginæ Margarithæ Valesiorum Ducissæ.* Id ubi rescivit Facultas, verita, ne Angelici Doctoris doctrina vilesceret, si ea mulierum aut etiam de fide non bene sentientium arbitrio

Argentre
l. c. p. 547.
Echard
Script. Ord.
Præd. t. 2.

Hist. Eccles. Tom. LIV.

S ac

Sæc. XVII. ac judicio permetteretur, nil intentum reliquit, ut Patrem Nicolaum induceret, quatenus ab cæpto opere ac versione desisteret: Hanc in rem super die prima Augusti sex nominatos Deputatos, qui Barbarinum Cardinalem Sedisque Apostolicæ Nuntios simplices adirent, ut Sacræ Facultatis compescendam Regiam, foemineam mentem, curiositatem auxiliares manus præberet.

§. CIII.

Parisiensis Curie decretum circa distinctionem de Hierarchia Ecclesiastica.

Argentor. l. s. pag. 547.
Cont. Thuan. lib. I. p. 225. Mense Decembri Georgius Critonius natione Scotus Jurisprudentiæ Doctor ac Regius Rhetoricæ Professor varias Theses Perronio Cardinali occupatas ex jure tam profano quam Sacro publicæ disputationi subicere parabat, inter quas secunda hujus erat tenoris: *Hierarchia Romanus Concilii Superior.* Re comperta mox Regii juris Cognitores ad Parisiensem Curiam questum ibant, exponentes, quod hæc assertio absque interpretatione avita doctrinis omni tempore in Francia imo & in Theologicæ Facultatis Schola præcipue Sorbonensi receptis adversaretur.

pro in Curia inhi-beret, ne ejusmodi The-
 ses publici juris fierent, aut desuper
 concertatio publica haberetur, quini-
 mo Jurisprudentiæ Doctoribus injunge-
 ret, ut ea die in suis Gymnasiis non
 docerent. Re in deliberationem vo-
 cata Parisiensis Curiae Præsides, die de-
 cima septima Decembris edictum pro-
 mulgabant, vi cuius Critonus suam di-
 sputationem, usque dum aliter decre-
 tum fuerit, differre, jurisprudentiæ au-
 tem Facultas deinceps hac in doctrina
 cum Facultate Theologica consentire
 jubebatur: postquam vero altera die
 Critonus se secundam hanc thesin ex-
 puncturum spondit, dummodo cete-
 rarum disputationem habere permitte-
 retur, repullam tulit: Hæc inscio Rege
 attentata fuere, quæ tamen Edmundo
 Richero ansam, auctoritatemque tri-
 buisse videntur librum suum *de potestate
 Ecclesiastica & Politica* evulgandi, ex quo
 tantæ in Galliis turbæ ac scandala ena-
 ta sunt.

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

§. CIV.

*Statutum Synodale Archiepiscopi Co-
 loniæ adversus quosdam ab-
 usus, a Papa confirmatum.*

Jam anno Christi millesimo sexcentesi-
 mo quinto die undecima Septembris

*Concil. Germ.
 tom. 4.*

S 2

Erne-

Sæc. XVII. Ernestus, Dux Bavarix, Archiepiscopus Colonienfis, ut corruptelas, que in Religioforum vestitione & Professione irreperant, tolleret, decretum copido salutare condidit, quod tamen primum hoc anno die sexta Junii summus Pontifex Apostolica Authoritate firmabat. Complectebatur autem hoc decretum sequentes has sanctiones. I. In die, quo assumitur sacer habitus, nullum instituatür convivium, nulla Superioribus offerantur dona, nulla exigantur ornamenta cellæ, vel cubiculi. II. Die professionis permittitur prandium, sed ita, ut pro singulis Religiosis non plus computetur, quam medius florus seu duodecim albi a parentibus numerandi. III. Non præferatur Virgini pueruli Jesuli statua, sed in summa eidem exponatur in Sacramento Sponsus Virginum. IV. Die professionis non adsint plures hospites, quam duodecim in convivio, absque profusione, pompa, Musica, saltu, nec ultra tertiam diei horam proferatur. V. Si plures sint Novitii vel Novitiæ, uno die professionem edant, ut tempus & sumptus redimantur. VI. Nulli Professo vel Professæ liceat testamentum condere, vel solenniores exequias ordinare, vel anniversarium fundare.

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

§. CV.

Joannis Pistorii Nidani obitus.

Ad censum Scriptorum Ecclesiasticorum, qui hoc anno obierunt, jure merito revocandus venit Joannes Pistorius vulgo Nidanus a Nida Hassiæ oppido, ubi anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo sexto natus erat, nominatus. Hic a Parente suo, qui olim Melitenfis Eques Augustanæ Confessioni nomen dederat, in Lutheri secta, educatus emenso studiorum curriculo Medicinæ operam dedit, postea jurisprudentiæ animum adjiciens, ejurata Lutheri doctrina ad Calvinii castra transit, ipsique etiam Ernesto Friderico Bado-Durlacensi Marchioni, cui a secretis consiliis erat, ad eandem erroris mutationem auctor existit; tandem vero ætate & doctrina perfectior, cum Sacras literas animo ab utriusque sectæ studio profus alieno diligentius pervolveret, fidem Catholicam amplectus est, quam etiam Jacobus Badensis Marchio, unacum Joanne Zehendero Lutherano Aulæ suæ Concionatore professus est, postquam Pistorius Ernesti Badensis Præconem sæpius circa articulum de ubi-quitate devicerat, ac Smidlinum & Herbrandum Tibingenses Præ-

Miræ Script.
Sæc. XVII.
Acta colloq.
Badens.
Freher.
Theatr.

Jacob. relat.
Cath. con-
vers. Germ.

Sæc. XVII. A. C. 1607. cones ad disputationem de Ecclesia
 vitaverat, quam tamen ipsi suæ causæ
 diffusi declinarunt: Anno sequenti
 millesimo quingentesimo nonagesimo
 decima tertia Junii Pistorius & Zehner
 derus adversus Joannem Pappum Ar
 gentinensem Ministrum ejusque socii
 præsentem Jacobo Badensi de Ecclesia
 Christi disputationem denuo instituerant
 cum summo Protestantium dedecore
 qui post varias verborum ambages
 effugia nil aliud ad tegendam suam igno
 miniam promptum habebant, nisi
 Marchionem de partium studio infirmo
 larent. Parta multiplici victoria Pisto
 rius Theologiæ laurea decoratus Con
 stantiam inde Friburgum concessit, ubi
 Rudolpho Imperatori a Sacris Con
 fessionibus & Consiliis fuit, ac Wratia
 laviensis Ecclesiæ Præpositus renunti
 tus est, tandem vero Friburgi meritis
 plenus pie in Domino obiit. Præter
 plurimas lucubrations dogmaticas con
 tra Lutheranos & quosdam artis Cab
 listicæ Scriptores, præcipue edidit Ger
 mano idiomate relationem conversionis
 Jacobi Badensis Marchionis, necnon
 trecentas Theses de Justificatione præ
 ter Ementingense colloquium. Insuper
 typis vulgabat tres majoris formæ to
 mos de Scriptoris rerum Germani
 carum.

carum: exstat quoque illius opus de re- Sæc. XVII.
rum Polonicarum Scriptoribus. A. C. 1607.

§. CVI.

*Michaelis Alfonsi Caranzæ Carme-
litæ mors.*

Huic pari fato successit Michael Al- *Bibl. Script.*
fonsus Caranza natione Hispanus, *Carmel.*
patria Valentinus, qui ibidem Ordinem *And. Schott.*
Carmelitarum professus ac primarius in *Bibl. Hisp.*
Holsensi Academia Professor renuntia- *Poffev. ap-
par. tom. 2.*
tus tam in patria sua quam Cæsar-Au- *Miræ.*
gustæ inter fidei Qualificatores, ut vo- *Script.*
cant, recensetur. Ter quoque Ar- *Sæc. XVII.*
ragonensem Provinciam moderatus,
necnon Generalis Hispaniæ Vicarius,
atque Apostolicus Regiusque Lusitaniæ
Visitator nominabatur. Tandem vero
octogenario major Valentini decessit.
Hic omnium primus in lucem edidit li-
brum Sancti Ildephonsi Toletani Archi-
episcopi de illibata Beatæ Mariæ Vir-
ginitate, cui adjecit *soluta Sanctorum*
pronuntiata ad quemdam Neophytum, po-
steris quoque reliquit librum unum præ-
lectionum Theologicarum, & alterum
decretorum, præter pium quemdam li-
bellum, cui titulus, *iter ad cælum*, nec-
non doctrinam *de Religiosis Novitiis, Pro-*
fectis & Monialibus.

S 4

§. CVII.

Sæc. XVII.

A. C. 1607.

§. CVII.

*Achiles Gagliardus, & Joannes Hejus, e Societate mortui.**Alegamb.**Bibl. Script.**Soc. Hist.**Congr. l. 2.**cap. II.**Papadop.**hist. Gymn.**Patav. t. 2.*

Præter minoris nominis Scriptores Societate, quales sunt Joannes zorius, Bravus, Goes, Ruggerius, Pennellus &c. aut gestis aut scriptis celebrius nomen sibi compararunt Achilles Gagliardus, & Joannes Haius, quorum primus ex nobili æque ac prædite familia Patavii natus in variis Collegiis Philosophicas ac Theologicas doctrinas explicabat, atque ætate proVectior totum se piis charitatis operibus erga proximum dederat: Erat quidem minus eruditus, in rebus tamen generalis dexterrimus, quocirca ipsius Superiores illum Romam decernebant, ut fervente celebri controversia circa gratiæ auxilia oblatis ineundæ concordie legibus, Societatis honorem a discrimine eriperet, cum autem ejus contumax minus prosper arrideret successus, re infecta Mutinam rediit, ubi memorie, visus, & motricis virtutis usu destitutus, ac postremo apoplexia tactus die septima Julii septuagenarius animam exhallabat. Edidit hortante Sancto Carolo Borromæo *Catechismum, Compendium Christianæ Perfectionis, & librum*

de interiori doctrina. Alter erat Joan-
 nes Haius natione Scotus, Vir inde-
 fessi supra vires laboris in hæreticis con-
 futandis, qui etiam in Germania Ar-
 gentorati cum Pappo & Joanne Stur-
 mio Sectariorum Antesignanis accerri-
 me disputabat: obiit autem Mussiponti
 die vigesima prima Maji, sexagenario
 major. Extant ejus *interrogationes ad*
Sectarios Prædicantes, unacum eorum
Apologia, *Antimonium ad responsa Bezeæ*,
Disputationes contra Ministrum Anonymum
Nemausensem, & *Scholia Brevia in Bi-*
bliothecam Sanctam Sixti Senensis.

Sæc. XVII.
 A. C. 1607.

§. CVIII.

S. Mariæ Magdalensæ de Pazzis Car-
melitanæ obitus.

Beato fine miseram hanc vitam hoc an-
 no die vigesima quinta Maji finivit
 Maria Magdalena de Pazzis Florentiæ
 anno Salutis nostræ millesimo quingen-
 tesimo sexagesimo sexto ex illustrissimis
 Parentibus nata, quæ decimo septimo
 ætatis suæ anno in Monasterio Sanctæ
 Mariæ de Angelis Ordinis Carmelita-
 rum sese Deo solemniter votorum sponsio-
 ne consecrans, totam vitam suam in jugi
 cælestium contemplatione, omniumque
 virtutum exercitiis transigebat, cujus
 vitæ Sanctitatem non modo cadaveris
 S 5 sui

Vincent.
Pucc. vita
S. Mag. X.
Lud. Jacob.
Bibl. Carmel.

Sæc. XVII. sui integritas ad hanc usque diem con-
 A. C. 1607. fervata, sed & innumera prodigia testa-
 tam reddidere, quibus rite probatis il-
 lam Urbanus VIII. die vigesima septima
 Aprilis anno post Christum natum mil-
 lesimo sexcentesimo vigesimo septimo
 Beatarum albo, Clemens autem no-
 nus Sanctarum fastis adscripsit die vi-
 gesima octava Aprilis anno sexcentesi-
 mo sexagesimo nono supra millesimum.
 Plura Cælestis suæ doctrinæ monumen-
 ta scripto reliquit, inter quæ præcipua
 sunt. I. *Regulæ duodecim a Christo sibi
 traditæ.* II. *Documenta de Monasteriis
 exercitiis & virtutibus.* III. *Apophteg-
 mata seu Axiomata.* Hæc ejus opera
 Florentiæ primum excusa jam tertio
 prælo fuere subjecta, quibus tamen ni-
 hilominus major fides non debetur,
 quam eisdem Ecclesiæ judicium & au-
 thoritas adjudicat. Uberior de hujus
 Sanctæ vita occurreret mentio, illo an-
 no, quo de ejus Canonisatione agetur.

§. CIX.

Joannis Rainoldi decessus.

*Pitfeus de
 Ill. Script.
 Angl. Bayle
 leur. t. 3.
 p. 1063.*

Hoc item anno Puritani, seu Non-
 Conformistæ in Anglia egregium
 suæ Sectæ Pugilem deplorabant Joan-
 nem Rainoldum seu Reginaldum, qui
 anno redempti Orbis, millesimo quingen-
 tesimo

tesimo quadragesimo nono Mense Sep- Sæc. XVII.
 tembri quodam Exoniæ oppido natus, A. C. 1607.
 emenso studiorum curriculo Oxoniæ in
 Collegio Corporis Christi Socius, ac
 postea Græci idiomatis Professor existi-
 tit, tandem Theologiæ laurea decora-
 tus. Fervente in Anglia Schismate
 Episcopales inter & Puritanos a suis
 anno millesimo sexcentesimo primo ad
 Hamptonianum colloquium unacum
 Thoma Sparcio aliisque decernebatur,
 ubi tamen ipse ceterique remissius di-
 sputabant, eoquod, teste Peircio, nul-
 lo modo persuasum haberent, res istas,
 quas in Hierarchia Anglicana taxabant,
 per se malas & illicitas esse, neque ex
 rigidiorum sententia coram Rege disputa-
 rare voluerint. Fertur quoque, quod
 Rainoldus in Galliis Catholicæ Reli-
 gioni, ac Sacræ militiæ nomen dede-
 rit, Williamus vero seu Guilielmus ejus
 frater dolore tactus eo contenderit, ut
 ipsum denuo ad Reformatorum castra
 reduceret: Verum mutuis de utraque
 Religione concertationibus ambo in tan-
 tam dubiorum labyrinthum prolapsi fue-
 rint, ut quid crederent, dubii hære-
 rent, infausto Joannis, & prospero Gui-
 lielmi successu; hic enim postea Romæ
 Catholicam Religionem amplexus Cal-
 vinismum, seu ut vocabat, Calvinis-
 Turcismum validissime impugnabat,
 Joan-

Sæc. XVII. Joannes vero ad vomitum reversus die
 A.C. 1607. vigesima prima Maji sectæ suæ immo-
 tuus periit, vivens vero suum venenum
 editis hisce libellis evomit, *de Rom-
 næ Ecclesiæ idololatria, Sacra Scriptura
 & Ecclesia, de Capite & Ecclesia, confu-
 librorum Apocryphorum Veteris Testamenti
 Scripsit. Apologiam contra Bellarminum &
 Pontificios, præter commentaria in Ari-
 stotelis Rhetoricam, Orationes, & e-
 pistolas.*

§. CX.

*Matthæi Dresseri aliorumque ex-
 trema.*

*Adam in
 vit Philos.*

Idem fatum subibat Matthæus Dresse-
 rus, qui die vigesima quarta Augusti
 anno restauratæ Salutis millesimo quin-
 gentesimo trigesimo sexto Erfordiæ na-
 tus Lutherum & Melanctonem, *notis
 par fratrum*, Magistros Wittembergæ
 habebat: inde Erfordiam regressus Græ-
 cum idioma & Philosophiam profiteba-
 tur, ubi inter præclara sui Zeli speci-
 mina numeratur, quod quamvis po-
 tior ceterorum Professorum pars Reli-
 gioni Catholicæ addicta esset, ipse ta-
 men præpotenti sua animositate eo rem-
 deduxerit, ut Augustanæ Confessionis
 inventa in hac Academia publice tra-
 derentur. Postea Misniam, inde Li-
 psiam

psiam evocatus, cum hanc Scholam
vehementibus Dissidiis inter Luthera-
nos & Crypto-Calvinistas, necnon in-
ter Ramistas & Anti-Ramistas scis-
sam deprehenderet, ipse velut torrentis
impetu abreptus Ramistas impotenti fu-
rore infectabatur, tandem vero die
quinta Octobris ibidem obiit, relictis
post se variis scriptis, quorum potissima
sunt. I. Isagoge historica per millena-
rios distributa. II. De diebus festis.
III. Rhetorica exemplis Sacris & pro-
fanis illustrata &c. IV. Historia Lu-
theri. V. Continuum Pomerii Chro-
nicon Saxonicum. VI. Chronicon Hun-
garicum &c. His adjungimus Joa-
nem Liveleium Cantabrigiensem, qui
commentarios in quinque Prophetas,
chronologiam Monarchiæ Persicæ & de-
structionis Hierosolymitanæ, necnon
librum de Græcorum Olympiadibus
scripsit.

§. CXI.

Georgii Mili interitus.

Alter ex Lutheranis Scriptoribus erat
Georgius Müller, seu Mylius, qui
Augustæ, urbe Suevorum celebratissi-
ma Anno Salutis nostræ millesimo quin-
gentesimo quadagesimo octavo natus,
ibidem humaniores disciplinas didicit,
inde ad Tubinganam, Marpurgensem
&

Sæc. XVII.
A. C. 1607.

*Adam. vit.
Theol. Germ.
Crus. annal.
Suev. l. II.
pag. 3.*

Sæc. XVII. & Argentinensem Academiâ profectus
 A. C. 1607. variis scientiis ingenium suum excolu-
 rat, postea in patriam reversus primò
 ad Sanctam Annam Concionator, ac
 demum Augustani Collegii Rector
 ut vocant, superintendens crebatur
 evoluta autem paucorum annorum spe-
 tio, cum Senatus Augustanus die deci-
 ma septima Aprilis anno Christi millese-
 mo quingentesimo octogesimo tertio Ca-
 lendarii novi communem usum præce-
 pisset, Müllerus cum suis Collegis se
 Senatui opposuit, civesque Lutheranos
 ad seditionem commovit, quocirca se-
 pius, incassum tamen, admonitus, cre-
 scente ejus temeritate die quarta Junii
 sequentis anni unacum ceteris Prædicantibus
 urbe excedere jussus est, quem cum
 Augustinus Weysbierer Imperialis ur-
 bis Prætor clauso curru ex civitate edu-
 ceret, turmatim confluentes Lutherani
 adhibita vi eripuerunt: inde Ulmam di-
 lapsus adversus Magistratum libellum
 convitiis, mendaciis & calumniis re-
 fertissimum edidit, quem tamen Geor-
 gius Pomerius egregie confutabat (*), &
 ipse

(*) Hunc Müllerum Leonardus Huttenus
 vindicare nitebatur, sed idem Pomerius anno
 1608. omnes infirmas ejusdem rationes solide,
 mordaci tamen calamo pro more illius ævi
 confutabat, edito Germanico libello, cui ti-
 tulus: gründlicher Bericht, der ungründlichen Ab-
 fertigung Leonhards Hütters.

ipsemet Senatus ac Consules Augustani Sæc. XVII.
 apologiam ediderunt, in qua horum A. C. 1607.
 Prædicantium & præcipue Myllii falsi-
 tates & petulantiam exponentes eisdem
 exprobrabant, quod Magistratui jus
 Prædicantes vocandi, nominandi &
 constituendi abnegare, præsumpserint. *Pomer. re-
 flex. in My-
 llii gesta
 Germ. 1607.
 ejusdem epi-
 taphium*
 Postmodum Myllius Jenam contendit,
 inde vero Wittembergam profectus ibi-
 dem periiit, cui præfatus Pomerius hoc
 epitaphio parentabat: *Vera Relat.
 eject. contra
 famos. libel-
 lum Myllii
 Germ. anno
 1587.*

In patriam cædes Molitor molitus
 atroces,

Exilium linguæ præmia justa
 tulit.

Scriptit conciones varias contra Pa-
 pam, Turcas & Calvinistas, præter
 plura alia opuscula, ex quibus cele-
 briora sunt: *Explicatio Augustanæ Con-
 fessionis, Examen Calviniani Dramatis in
 Misnia. Spongia abstersoria pro Confes-
 sione Augustana, explicatio Epistolæ ad
 Romanos, libri quatuor de re Sacramenta-
 ria, Analytica libri Lutheri contra cælestes*

*Prophetas, præter volumen dispu-
 tationum Theologi-
 carum.*



HISTO-